Aristoteles quatenus Ciceronis in rhetorica fuerit auctor ut recte possit iudicari, cum primum quaerendum sit, quibus omnino in rebus consentiant illi, quoniam multa, quae iis communia sunt, praecipere potuit, quisquis vel mediocriter versatus erat in arte dicendi, ea, quae congruant inter illos, minime omnia elucet revocanda esse ad originem Aristoteleam. Itaque Cicero unde desumpserit haec, quibus num philosophi contineatur doctrina incertum est, ut ex veri similitudine possit decerni, antea constitutum oportet, quoad is ipsos illius novisse putandus sit libros rhetoricos. Ad haec eius studia examinanda cum ante hos VIII fere annos aggressus sim dissertatione quae vocatur inaugurali componenda,[1]) iam altera proposita est quaestio latius patens, cumque quae libello illo coacta est sententiarum summa, qua interiore artis Stagiritae notitia imbutum fuisse Tullium negatur,[2]) non omnibus pariter probata sit viris doctis, — velut Pideritius, quem inter Ciceronianae artis rhetoricae existimatores nunc principem tenere locum nemo infitiabitur, humanissimis me de dissensione sua eiusque causis docuit litteris — meritone illa dicta sit an non ex hac, quae iam instituitur, disputatione iudicari poterit, et quem ad modum illa hanc praeparavit huiusque de loco quodam iudicandi fundamentum iecit, ita haec id, quod superiore disquisitione effectum est, confirmatura eiusque aliqua ex parte quasi defensio futura est.

Commentationi igitur haec proposita est ratio, ut primum explicetur, consentiatne cum philosopho Tullius, deinde num Aristotelea origo in Ciceronis perceptis agnoscenda sit, tum videanturne ex ipsis Stagiritae libris desumpta, quae congruant, cum doctrinae illius notitiam etiam per alios accipere potuerit, philosophos quosdam et grammaticos velut Tyrannionem;[3]) illa autem vis directa nisi perspicua est, postremo quaerendum, noveritne Cicero, unde, quae acceperit Aristotelea, profecta sint.

§ 1.

Ac primum quidem quaerendum est, sitne Aristotelem Cicero secutus in universa ratione rhetorica, ut eadem artis sit natura idemque ingenium: agitur autem et de principiis, ex quibus ipsam, quam docet, eloquentiam moderatur, et de eo, quod ad huius explicationem valet, ethica illa, hoc formale potes dicere. Quid autem philosophi proprium sit in his duobus rerum generibus, collatis antiquissimarum artium reliquiis imprimisque rhetorica quae dicitur ad Alexandrum, non plane neglectis iis, quae de universa sophistarum artis indole atque natura a Platone discimus, reperitur.

---

1) Aristotelis ex arte rhetorica quaeritur quid habeat Cicero. Berolin. 186[illegible].

2) l. l. p. 50: lectam esse a Cicerone universam philosophi artem nec potest doceri neque negari; libri primi c. 1—3. et tertii c. 8. ei nota fuisse apparet; in reliquis autem artis Aristoteleae partibus eum collocasse studium aut haec ei cognita fuisse nulla, unde id colligatur, sunt vestigia.

3) v. Heitz. de perditis Aristotelis libris p. 11. Thiel. de zoologicor. Aristotel. librorum ordine p. 5 n. 30 imprimisque Planer. de Tyrannione grammatico Berol. 1852. p. 4 not. 3 med.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Revocavit autem Stagirita dicendi artem ad honestatem. Itaque in utramque partem de eadem re verba facere oratorem vetat, quamvis rhetorica e natura sua contrariis pariter servire possit. Haec rationis emendatio ad Ciceronis tempora minus pertinebat, cum ad usum, quae eius erat apud Romanos forma, paene nihil valeret: abhorrebant enim illi ab hac ostentatione, propter quam sophistae et ipsi se rem defendere eandemque impugnare posse gloriarentur et bilinguem hanc facultatem se docere profiterentur, ut nihil omnino, quod sophistarum simile esset, apud eos exortum sit. In foro igitur et apud iudices omnem vim suam ipse sublaturus erat orator,[1]) si, quod modo affirmasset omnique ratione tutatus esset, idem docuisset se posse negare atque dissolvere;[2]) usum autem potissimum in artis explicatione sequitur Tullius. Is igitur cum oratorum propriam dicat esse exercitationem facultatis eius ipsius rei, quae ante fuerit probata, refellendae d. or. I 263 III 78, 80, summam artis perfectionem (III 71 coll. 80) praeter exercitationem dicendi in eo ponit, ut in omni causa ab eodem duae orationes contrariae explicari possint, id quod dialecticorum de disputando praeceptis comparetur. His mores plane non respiciens nec iudicans, utrum hac facultate etiam uti liceat in utramque partem an finibus quibusdam ea in ipso usu circumscribenda sit, quam late pateat vis eloquentiae, significare vult. Praeterea academicas illius generis exercitationes commendat d. or. I 158 III 107, 145 s. f. de rep. III 6 in Lactant. institut. V 14,[3]) at minime quae *προγύμνασμα* quoddam, ut artis vocabulo utar, contrariarum eadem in causa orationum habendarum sint, sed in singulis utendum esse illis dicit non ad decipiendos fraude auditores, verum ad rem dubiam diversis ex partibus illustrandam, ut illis studiis quasi materies colligatur et ad tempus reservetur, unde ad amplificandam orationem locos communes repetat orator (d. or. III 106). In ipsis vero praeceptis rhetoricis id, quod quaerimus, animadverti non potest: ubi enim id fieri videtur, non tam de eadem utramque in partem tractanda causa, quam de argumentorum generibus ambiguis agitur, quibus quidem totis et demere possis fidem et conciliare. Huius generis est locus d. or. II 215; neque eiusd. libr. § 30 s. fin. (uterque nostrum eadem de re alias aliud defendet) de eo loquitur scriptor, quod in sophistis reprehensum erat idque Aristoteles removerat rh. I 1 p. 1355 a 30, ut quispiam contrariarum eadem in re partium patronus sit, verum de obscuris rebus et incertis, quae non sciantur, sed opinionibus contineantur, ut iniuria Antonius id inde colligat l. l. alterum necessario mentiri, cum error quam in oratoris consilio potius in argumenti natura positus sit. Ceterum quod *πίστεις ἀτέχνους* in utramque partem explicat, partit. 51, 117, 118 coll. 120 extr.[4]), id ei non magis quam Aristoteli aliisque rhetoribus crimini vertendum est.

Eadem igitur de causa verba facere in utramque partem rhetoricae esse Tullius cum philosopho consentit, verum hic cum id, quod in artis notione insit, ad usum non admittat, ille aperte quidem non eosdem fecit fines, sed nullus in eius libris reperitur locus, qui obstet, ne tacite eosdem servasse iudicetur. Utrum autem id factum sit eandem ob causam, quae philosopho erat, quod *τἀναντία πείθειν* per honestatis leges non liceret (*οὐ δεῖ φαῦλα πείθειν*), an ob externas causas, quae

---

[1]) Alia erat apud Graecos rei conditio, apud quos cum suam quisque ipse agere deberet causam, itaque patronus, qui cui orationem conscripsisset, publice non fere cognosceretur, facile fieri poterat, ut idem utrique parti serviret; de qua re v. quae ex Eggeri disputatione: haben die Athenienser die profession der advocaten gekannt? (in actt. institut. francogallic. 1860 n. 294, 295) afferuntur in Philol. XVIII p. 378 in: „es kam vor, dass ein redner beide parteien bediente, wofür die sachgemässe ausbeutung der rein iuristischen controverse als entschuldigung angeführt werden kann.“ Alia ex parte rem defendit Garv. in commentar. Cic. d. off. libr. II p. 117 sq.

[2]) Hoc non excludi apparet, ne aliis temporibus idem aliter de eadem re iudicet itaque etiam verba faciat, id quod ipsius Tullii inconstantiae saepissime opprobio fit.

[3]) „quasi oratorio exercitii genere in utramque partem disserendi.“

[4]) oratorem de his parata quaedam eius generis atque expedita habere oportere dicit d. or. II 118.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

modo commemoratae sunt, quibus id Romanis longe non tam propinquum fuisse demonstratur, quam Aristotelis aetate Graecis dicendi doctoribus, cum nulla sint indicia, iudicari non potest.

Sed si quaerimus, num, qua ex parte cum Stagirita consentiat, in hac eius ex doctrina pendeat, non quidem e paucis, quibus id ille expressit verbis, verum ex universa rei tractatione, ipsorum eius librorum lectione non fere effectum id videtur, cum prorsus nullis rebus hoc indicatum sit. Ac ne propterea quidem, quod primus in rationem hoc induxit Stagirita, Aristotelea in hoc subesse vis putanda est, cum hoc in genere non Graecorum in doctrina nitatur, sed omnium rhetorum Romanorum alia sit disciplina; nam longe aliter atque in arte ad Alexandrum Anaximenea ne in rhetorica quidem ad Herennium scripta aut in Ciceronis de inventione libris, quibus vulgaria traduntur praecepta, ubi de ambiguis rebus et inartificialibus argumentis in diversas partes, ut commodum ferat, usurpandis non pauca sunt, de eadem causa contrariis ex partibus suscipienda quidquam praecipitur.

Altera Stagiritae lex bonas tantum causas gerere in iisque defendendis veritatem observare oratorem iubet: rh. I 1 p. 1355 a 31, 37 sqq. coll. 22 imprimisque id ex comparatione artis Aristoteleae cum Platonica priorum descriptione intellegitur. Qua de re si qua ex ipsa Ciceronis vita et actione colligi possunt, idque, ut in quaestione de usu instituenda, non alienum videtur, tamen maxime hic eius ratio respicienda est. Atque primum in ea non praecipuam aut principalem illam habet legem eamque ipsam omnino ne commemorat quidem aperte, sed inveniuntur quaedam eius vestigia: d. or. I 202: „hoc sermone nostro conquirimus eum virum, . . qui scelus fraudemque nocentis possit subicere odio civium supplicioque constringere, idemque ingenii praesidio innocentiam iudiciorum poena liberare idemque languentem labentemque populum aut ad decus excitare aut ab errore deducere aut inflammare in improbos aut incitatum in bonos mitigare, qui denique quemcumque in animis hominum motum res et causa“ (iusta igitur tantum) „postulet, eum dicendo vel excitare possit vel sedare.“ III 55: „quae quo maior est vis (eloquentiae), hoc est magis probitate iungenda summaque prudentia; quarum virtutum expertibus si dicendi copiam tradiderimus, non eos quidem oratores effecerimus, sed furentibus quaedam arma dederimus.“ Neque hinc alienum est, quod virtutibus a Tullio adnumeratur eloquentia, id quod quidem hoc ipso loco III 55 in. dicit idemque d. or. I 83 profertur, sed non ita, ut de scriptoris vera sententia doceamur: hoc fit ib. III 65, partit. 79 (coll. 76), ubi quomodo id intellegendum sit, clarissime apparet, cum illam „copiose loquentem sapientiam,“ hanc ipsam autem virtutem aliquam, quae scientia cernatur, esse dicat;[1]) pariterque cum sapientia coniungitur haec d. or. II 344. Esset autem tota haec res ab eo, de quo hic agitur, cum probitas ad alterum virtutum genus pertineat, aliena, nisi ex Stoicorum doctrina (v. I 83), quam hac de re ille amplectitur (III 55), omnes virtutes arte inter se cohaererent imprimisque hoc loco III 55 diserte id diceretur, quamvis omissa sit ratio philosopha. Ne id quidem plane neglegendum est, quod, quibus in oratoribus eluceant virtutes, hos utique probat, velut Brut. 272 extr., quamquam eas solas non sufficere graviter monet ib. 294. Postremo oratorem aperte vult esse virum bonum d. or. II 84,[2]) quocum loco conferri potest Br. 179, ubi in T. Aufidio, qui parum dicebat, id laudat, quod bonus vir erat et innocens. Atque hanc certe prae se ferre speciem iubet oratorem d. or. II 186, 192, 211, unde cum intellegatur utilem hanc oratori a Cicerone existimari, tamen ad quaestionem hic propositam nihil efficitur, in qua de ipso oratoris animo sensibusque agitur.

[1]) Itaque ad locum d. or. III 55 non laudaverim Cic. d. off. I 19 (virtutis enim ius omnis in actione consistit), cum, si accuratiorem distinctionem respicimus, eloquentia pertineat ad virtutes illis, quae in actionibus versantur, oppositas.

[2]) hunc locum cum Pideritius ad civiles rationes, quas sequantur optimates, revocandum esse statuat, hoc in eo nulla re est significatum. Ex verborum collocatione, ex qua id diiudicandum esse censet M. Seyffert. in progymnasmatt. Comm. V 2 p. 88 ed. 1, cum viri boni nomine hominem probum, bonorum virorum plerumque bonos cives significari arbitretur, hic nihil intellegitur, cum illo loco d. or. II 84 paucis verbis infra eundem dicat bonum virum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De veritate autem (quod quae in Brut. § 42 per irrisionem loquitur de rebus ex historia ornandi causa repetendis: „concessum est rhetoribus ementiri in historiis, ut aliquid dicere possint argutius," huc nihil valent, quamquam ex Aristotelis arte eius modi vox frustra quaeritur) nusquam verba facit nisi in partit. 32, ubi probalilem fore orationem dicit, „si probitas narrantis significata fuerit, si orationis veritas et vitae fides." Itaque non sua ipsius causa, sed ob externam probabilitatem ea proponitur expetenda, ut ille locus huc non referendus sit, ubi de arte ad honestatem instituenda quaeritur. — Atque hanc virtutem minoris fieri clare intellegitur d. or. I 44, ubi satis magnum esse statuitur, si orator, quod sibi proposuerit, perficiat „prudentibusque diserte, stultis etiam vere videatur dicere." Non minus aperte idem apparet d. off. II 51: „iudicis est semper in causis verum sequi, patroni non nunquam veri simile, etiam si minus sit verum, defendere."

Ciceronis igitur libris cum his de rebus non satis doceamur, in usu, si huius licet rationem habere, quamquam res nefarias (v. d. off. l. l.) nunquam susceperit, non nimis anxium eum fuisse videmus, id quod temporibus satis explicatur.

In illo de rebus, quae manifesto pravae sint, non defendendis praecepto nemo fere Aristoteleam agnoverit auctoritatem; probabilius id ad antiquos revocaveris Romanorum mores, quorum specimen Catonis illud exstat, quo orator esse vir bonus iubetur; neque hoc aliter tamen ad posteros valuisse putandum est, nisi temperatum experientia eius, qui cedere temporibus didicerat. A veritate autem quod discedere non debeat orator, in hoc Ciceronis sententiam ex philosophi doctrina pendere nemo facile credet. —

Neque vero proposuit modo Aristoteles, quid tenendum esset rhetoricae, sed etiam qua ratione id fieri posset vel potius deberet, indicavit: expetendum enim cum is quoque, ut priores omnes, *τὸ πεῖσαι* existimet, assequendum id esse non nisi *πίστεων* ope statuit, quae solae tractandae sint in arte rhetorica, I 1 p. 1354 a 14, 1355 a 4. Boni iustique cum studio has cohaerere non ipse quidem dicit, sed id inde apparet, quod, cum sophisticum enthymema (ut id ita dicam, quod inter syllogismos sophismati respondet) a rhetorica alienum sit, in illis versari non potest orator, nisi antea ipsi de earum fide fuerit persuasum. Sunt autem oratori ut cognoscenda ea, quibus contrariae eiusdem causae partes commendentur, ita et *πίστεις*, quae re vera sunt (*τό τε πιθανόν*) et quae videntur tantum earumque solam prae se ferunt speciem (*τὸ φαινόμενον πιθανόν*) perspiciendae p. 1355b 16, nimirum ut has alteras dissolvere possit; etenim si quis non tam hanc ob causam eas cognoscere studet, quam ut iis utatur, iusti ac veri oratoris nomine non nisi *ὁμωνύμως* ornatur. Quod si ita est, quanto haec rhetoricarum rationum ad solas *πίστεις* revocatio cum eo, quod rhetoricae principium esse voluit Aristoteles, ut modo demonstratum est, vinculo coniuncta teneatur, videtur apparere. Pro veris autem quod non modo interdum, sed plerumque *τὰ ἔνδοξα* rhetoricae subiciuntur (1355a 15 sqq. coll. 1357a 32, ubi enthymemata plerumque inniti dicuntur *ἐν τοῖς ἐπὶ τὸ πολύ*) hic nihil differt (cum de oratoris probitate ac fide agatur), quando quidem Aristoteles hoc in genere (v. p. 1355 a 15) *τὰ ἔνδοξα* adiungit *τοῖς ἀληθέσιν*, nec oratori concedit illis ita abuti, ut a prioribus factum esse e Platonis Phaedro p. 272 E—273 discimus.[1])

Sunt quidem etiam in Stagiritae arte, in quibus a se ipse dissentire videatur, quo id maxime referunt[2]), quod animi perturbationes, quas a rhetorica excluserit (I 1 p. 1354 a 17 et 25), tamen adhibet ipseque accuratissimam earum profert doctrinam (II 1—11): qua de re primum non aliter iudicandum est quam de enthymematum, quae non re vera sunt, locis collectis oratorique traditis (II 24): nam si adversarius audientium animos moverit, hic qua ratione id fecerit, ut propulsari hac

[1]) cf. quae hac de re disputavit R. Wiechmann, amicus in dissertat. de Platonis et Aristotelis art. rhetor. 1864. p. 27.

[2]) gravissimo hoc ei opprobrio fecit Thereminius in libro, qui inscribitur: die beredsamkeit eine tugend. 1837. p. 125.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ex parte possit et superari, sciundum est;[1]) huc accedit illud, quod philosophum ab ipsa vita saepius videmus non adeo alienum esse, ut, quae hac postulentur, prae doctrinae legibus neglegat. Itaque cum nemo possit negare magni ad causam defendendam momenti esse perturbationes animi, earum scientiam excitandarum, in qua si praecipue ars ponitur vitium est, iure adsumi est concedendum: quod quamquam ipse de his non monuit, recte tamen colligitur ex eis, quae λέξεως doctrinae, quam adhibuit, excusandae causa dicit III 1 p. 1404 a 2—8. Idque ipsum, quocirca removeri a rhetorica animi motus voluit, quod vero atque iusto auditoris iudicio (καὶ γὰρ τὰς συμβουλὰς κρίνουσι καὶ ἡ δίκη κρίσις ἐστίν II 1. p. 1377 b 22) officiant, ita evitari a philosopho putandum est ex universa artis eius indole ac natura, ut, cum omnino rhetoricae nisi bonae causae non sint suscipiendae atque tuendae, illa quoque disciplinae pars ad harum servitutem adigenda sit, itaque, quae per se honestati non consentanea sit nec possit probari, in usu certe huic subiungatur ideoque iam non debeat repudiari. Philosophus igitur cum in artis explicatione a severiore ratione sua ipse discesserit, qui quidem solam argumentorum explicationem propriam rhetoricae iudicat, affectuum autem doctrinam ut ab ipsa re alienam excludit, postea vero in usu multum illos valere tacite concedens praeter rationes suas admittit, id, quod ita ille composuit, systema Cicero amplectitur: sed hoc loco quoniam de principiis agitur et quoniam aliud est systematis partem ex proposito adhibere, aliud rationis immutatione facta adsumere, minoris ille consensus est momenti. Nam Tullius illius discriminis mentionem non facit, sed plane eandem eius loci, qui de animi perturbationibus est, atque qui de argumentis, vim esse apparet in illius libris; praeterea non semel plurimum affectiones in orationibus valere dicuntur (d. or. II 215 in. all., coll. Br. 89), nimirum cum iudiciale potissimum genus rhetoricae respiciat, ut ad eum quoque pertineat, quod in prioribus reprehendit Aristoteles rh. I 1 p. 1354b 20—35.

Hac igitur in re dissentiunt hi duo scriptores. Adde, quod Stagirita elocutionem, cui dispositio adhaeret, quidquid de tertii libri origine statuitur, inferioris momenti esse indicat, Tullius autem in partitionibus idem ei, atque inventioni reliquisque partibus, in libris d. or. et in orat. etiam plus tribuit, cum, si non ex ea pendere exitum, at certe elocutionem minime nullius ad eum esse momenti, ac praeterea propriam hanc rhetoricae esse significet.

§ 2.

Alter est huius quaestionis locus de formali, quod diximus, artis rhetoricae principio in disciplinae forma posito, quam ad rem exhibendam primum postulat, ut praeceptis rationes addantur; quod cum Aristoteles necessarium esse demonstret, ut ad τέχνης notionem efferatur dicendi facultas,[2]) in hoc cum eo consentit atque etiam, id quod alio loco[3]) illustratum est, eius verba recepit Cicero d. or. II. 32. Verum etsi hoc a se quoque expeti dixit ib. 33 in., tamen minime observavit, cumque id in dialogis minus offendat ob eorum formam, quamquam in his ipsis illud profitetur, ne in reliquis quidem libris id tenetur, atque tam raro huius modi vestigium est (velut d. or. III 160), ut, nisi ipse

[1]) Hoc iam ante Aristotelem monetur in rhet. ad Alexdr. c. 20 (ubi singulare αἰτημάτων artificium illustratur) s. f. ἵν' εἰδότες τό τε δίκαιον καὶ ἄδικον χρώμεθα κατὰ τὸν καιρὸν καὶ μὴ λανθάνωσιν ἡμᾶς οἱ ἐναντίοι ἄδικόν τι αἰτοῦντες τοὺς δικάζοντας. Differt autem hic scriptor eo, quod id etiam ad usum refert (χρώμεθα), ab Aristotele, qui in ratione se continet (p. 1355 a 32). Illo loco quam diversae sint philosophi et priorum rhetorum hac de re sententiae cum clarissime appareat, commode is artis Aristoteleae commentariis l. l. inseri potest, velut Spengelii p. 28 in.

[2]) met. A 1 p. 981 a 28 rhet. I 1 p. 1354 a 10 sq.

[3]) v. dissertat., quae supra laudata est, p. 43—45, ubi respiciendus erat Sev. Vater. in observatt. ad Aristot. rhetoric. 1794. p. 4, cum, quid in verborum consensu tamen illorum doctrinae differant explicet. „Artis, inquit, praecepta inveniri posse Aristoteles inde colligit, quod utrique possint dicere et causa, cur possint, perspicua sit. Cicero contra id ex eo derivat, quod intellegi possit, cur alii aliis melius dicant.“ Addi potest hic locus ad Spengel. comment. p. 8 med. (caeterum cf. hui. edit. p. XI 2) pariterque ad Ellendt. et Piderit. explicat. l. d. or. II 32.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

id proposuisset, nemo facile ad hanc rem in eius libris attenderet. Sed mirandum hoc minime est, cum Tullii ingenium alienum fuerit ut ab interiore philosophia ita a philosopha rerum tractandarum ratione, quae quidem etiam in argumentis perquirendis posita est. Caeterum quoniam huc id referendum videtur, quod Aristotelem praecepta exemplis quam commenticiis[1]) potius ex orationibus repetitis[2]) confirmare constat, quae apparet non tam propterea addi, ut praecepta fiant clariora, quam ut testimonia sint, quibus probetur doctrina quaeque serviant huius auctoritati: Tullius quasi utrumque genus commiscet, cum maximam partem ex suis orationibus repetat exempla; sed si haec minime ad illustranda praecepta fingi tenemus, in hoc illum ab Aristoteleo more non abhorrere confitendum est.

Alterum huc id revocandum est, quod ad artis formulam rhetorica a philosopho est composita, id quod a nullo antea factum erat. In hoc quod Tullius cum eo consentit ipseque illud requirit Brut. 152, id non magni aestimandum est, quoniam, si qua ars eo pervenit, ut ad systema revocetur, non fere, qui eam illustraturus nec plane ab eius cursu et progressibus alienus est, ad pristinum statum potest redire. Latinam autem rhetoricam totam ex Graeca pendere eiusque quasi continuationem esse cum constet, ille inferioris scriptoris cum priore consensus hoc in genere paene necessarius erat. Sed ad ipsam artis compositionem propius accedere et comparando explicare, num, quae Aristotelis est, agnoscatur in Tulliana, non huius est loci. Ac si deinceps quaeritur, animadvertaturne philosophi ad Ciceronis rationem vis in illo consensu, ea quidem ex parte id concedendum esse modo diximus, quod nemo ante Aristotelem hanc induxit rationem itaque posteri eum sequuntur: sed, ut longius progrediamur, effectum id esse ipsius Stagiritae librorum lectione negandum est; imitati sunt in hoc omnes illius exemplum partimque etiam hoc artificii studio nimis aucto exili molestaquae dividendi diligentia in vitium id converterunt. Tullii quamvis in universum cum Aristotelis institutione rei congruat, tamen huius nec sollertiam subtilitatemque nec rerum omnium simul respiciendarum dispersarumque unum sub adspectum subiciendarum facultatem probavit, cuius insigne exemplum hoc est, quod fere ubique, ut modo (p. 5) dictum est, reliqua praeter iudiciale genera rhetoricae neglexit itaque ad eum quoque id valet, quo, si res vere examinetur, mancas priorum artes esse significat philosophus rh. I 1 p. 1354. b. 26.

Eundem autem Aristotelem, qui ex arte rhetoricam disponeret, tamen, cum ab usu minime esset alienus, id evitasse videmus, in quod posteri incurrerunt disciplinam efficientes, quae ad ipsam vitam parum pertineret. Quo in genere si Tullius cum eo confertur, aliqua quidem ex parte hi duo consentiunt, praesertim si utriusque libri cum eorum, quos modo diximus, qui inter hos duos interiecti sunt, doctrinis, quoad earum fingere possumus imaginem, comparamus, quorum aetate cum eloquentia iam ad scholarum umbracula depulsa esset, huius ratio a re publica aliena erat atque carebat usu: attamen hunc minime pari modo duo illi respiciunt. Philosophus enim non eum praecipue sequitur, immo hac ipsa re differt a prioribus, imprimisque id expetit, ut iustam efficiat disciplinam rhetoricam. Contra Tullio, sicut homines Romani etiam illo tempore rationi anteferebant res et usum[3]), haec summa sunt proposita, quamquam non eodem modo fit atque a rhetoribus Aristotele antiquioribus: a quibus hoc differt consentitque cum Stagirita, quod neque sicut hi ordinem praeceptorum simpliciter enumerat, sed systema proponit (ut in partitionibus atque etiam in topicis, quae quamvis in ipso usu

---

[1]) Pauca sunt huius generis velut III 11 p. 1412 a 14; 15 p. 1416 a 23; aliqua ex parte 16 p. 1417 a 4.

[2]) v. Westermann in hist. eloqu. Gr. p. 150; Spengel. in *συναγωγ. τεχν.* p. 37 coll. 77 n., de Aristotel. rhetor. p. 20. praefat. Anaxim. p. X, in Philol. XVIII 645 n. 8. all.

[3]) Fuisse qui in hoc usque eo procederent, ut omnino vituperarent, si quis artem tractaret atque doceret, O. Jahn. in orator. praefat. p. 8 med. adnotat.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

versentur, tamen ad artis formulam composita sunt), et adsumit, quae ab illis neglegebantur, quaestiones in sola arte versantes, id quod etiam in illis de oratore libris [1]) apparet, etsi eos ipse potius in hominum eloquentissimorum et summorum in republica virorum experientia quam in doctrinae praeceptis versaturos dicit I 23 II 175, 361: iusta tamen rhetoricae definitio nusquam ab eo profertur. — Sed in eius libris non de ratione rhetorica agitur, qua ex parte disciplina est ex se ipsa apta, verum ex qua servit eloquentiae, ideoque praeter illam simul complectitur naturam et exercitationem [2]) (d. or. I 113 sqq. II 85; de imitatione agit II 90 sqq.; de causis, quas orator tractaturus sit, accuratissime cognoscendis ib. 99 sqq. cum, quae ab ipsa rhetorica plane abhorrent, respiciat § 109; v. etiam II 131; omninoque de diligentia in his omnibus ponenda II 148 sq.): contra neglegit, quae ad rationem potius quam ad usum pertinent; itaque affectuum doctrinam minime tam diligenter, quam Aristoteles, perquirit, sed in iis versatur, quae necessaria sunt ad orationes componendas, praeteriens quae spectant ad illorum naturam; etiam genus dicendi demonstrativum paene totum omittit ut a vita abhorrens. — Excludo hic id, quod in Stagiritae persona positum est neque per se est virtus, quam in omne tempus attulerit disciplinae, cum rationem, non ut tradat, sed velut eius ipsius causa explicet nullaque re nisi illa ipsa ducatur [3]), cum Cicero contra doctrinam ubique ita persequatur, ut alios de hac doceat. — Singularum autem rerum tractandarum modo idem confirmatur, quod ex universa librorum institutione intellegitur; neque enim observationum forma, sed praeceptorum illas profert.

Itaque si rationem conferimus, quae inter doctrinam et usum intercedit apud Tullium, cum illa, quae apud Stagiritam, maior est differentia quam similitudo: hic ex usu colligit praecepta, ille ad usum ea traducit; hic condere disciplinam sibi proponit, ille eius forma utitur, ut, quae usui serviant, ad ordinem quendam revocentur; est denique alteri in disciplina finis positus, alteri nihil id est nisi institutionis oratoriae instrumentum. Atque hoc quidem quamvis summae artis, si eius normam respicias, non sit, tamen, ut in homine Romano minime contemnendum est, immo iure Bernhardy [4]) in hoc singularem Ciceronis virtutem inesse iudicat.

Qua vero ex parte consentiunt (id quod, ut diximus, tum demum clare perspicitur, cum conferatur Tullii doctrina cum rhetoribus, qui Aristotelem secuti Cicerone priores erant), si deinceps quaerimus, num in his ad philosophi morem rediisse Cicero putandus sit, itaque num qua illius librorum vis cognoscatur, hoc utique negandum est, quin illud potius rebus Romanis, ut tunc erant, explicatur, quae in hoc congruunt cum Graecis aetatis Aristoteleae rebus, quod apud Romanos vigebat etiam in re publica eloquentia, ut eius ratio summi esset momenti, apud Athenienses certe incipiebat demum de vita decedere, ut eius doctrina nondum plane esset ab usu aliena. —

Itaque, ut iam summam faciamus, de principiis maximam partem non contraria quidem Aristoteli sentire videmus Ciceronem, sed illi quae erant principia, iis tantum hic non tribuit,

---

1) Potest dubitari de oratore, qui quidem in universa rei tractandae ratione etiam proprior est Aristoteli quam ipsi de oratore libri, cum scriptor in eo non institutionem oratoriam traditurus sit, verum existimatoris partes agat (§ 212, 217 extr.): at hic quoque id ei propositum est, ut ad artis dicendi usum traducantur, quae ratione persequatur, cum eorum, qui Attice se loqui profiterentur, auctoritatem labefacturus sit; accedit quod singulis in rebus (velut in numero illustrando § 204 sqq.) minime ab usu alienus est.

2) Ne illud quidem hic praetereundum est, quod saepissime in explicanda arte oratoria commemorat tria illa, naturam, rationem, exercitationem: qui loci infra (§ 3) enumerabuntur.

3) cf. Bernays. de Aristotel. dialogg. p. 1. — Eucken. de Aristotel. disserendi ratione p. 37. in.

4) in histor. litter. Latin. § 44: „Cicero wies an den mannigfaltigsten obiecten die noch unversuchte kunst, belehrend und anregend die römische praxis mit der theorie zu vermitteln.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

in eoque, in quo philosophum praeter caeteros rhetores se sequi probare poterat, rationibus praeceptorum exquirendis, minime illius exemplum imitatur; gravissima autem, ut iam id addatur, quod licet propositae non sit quaestionis, ei haec est lex, ut orator, quidquid tuendum susceperit perficiendumque sibi proposuerit, quod cuius generis sit, non in magno ponit discrimine, utique perficiat — cf. d. or. I 30 in. „nihil praestabilius" coll. II 161, 176 — idque qua ratione fiat, non magis curat; illud autem, quod Aristotelem ad rhetoricae naturam ipsam propius accedentem ex eaque principia repetentem proposuisse vidimus idque ethicum diximus principium, diserte nusquam praecepit. In explicanda vero artis ratione non, ut disciplina efficiatur, studet, sed ut quam commodissime ad usum doctrina instituatur.

His igitur ex partibus vis Aristotelea in Tullii libris non est agnoscenda. —

Atque ex hoc si quid de priorum scriptorum artis tractationibus licet colligere, illi non magis cum Stagirita videntur consensisse. Sunt autem formales potissimum rationes respiciendae, cum de alteris nihil omnino sciamus; ex iisque id quidem receperunt omnes, ut ad artis formulam componerent rhetoricam: sed alii, qui in Graecia fuerunt, velut Hermagorei, in doctrina nimis versantes recesserunt ab usu; (de Theophrasto aliisque, de quibus fortasse aliter statuendum est, non satis multa tradita sunt, ut quidquam certi hac ex parte de iis possit affirmari), alii, quorum exemplum nobis est rhetorica ad Herennium, prae usu neglexerunt ea, quae disciplinae sunt. — Hoc igitur in genere philosophi ars ad posteros, quantum nos possumus iudicare, nihil valuit nec quisquam invenitur, qui illius in rhetorica magnitudinem atque virtutes sit assecutus.

§ 3.

Iam singuli systematis loci, de quibus Aristoteles disputavit, sunt perlustrandi cum iisque Ciceroniana doctrina comparanda. Hoc non frustra post Spengelii in Mus. Rhen. vol. XVIII a. 1863 ed. disquisitionem, quae est de veterum doctorum artis oratoriae definitionibus et partitionibus, suscipi ex eo apparet, quod huic, quem ad modum iam in superioris libelli p. 23 monui, non Stagiritae et Ciceronis propositum erat inter se comparare doctrinas, verum utriusque altero neglecto de duabus illis rebus iudicia statuere, quodque hanc ipsam ob causam non habebat, cur commoraretur in iis, de quibus hic agitur, notionibus explanandis aut examinanda ratione, qua singulae inter se continerentur, sed brevis sufficiebat rei significatio. Huius viri praeclari, cuius opera veteris rhetoricae studia nova et amplissima ceperunt incrementa, a iudiciis qua ex parte equidem differam, infra suo loco satis apparebit: differentias enim, qua is est auctoritate, pluribus explicandas, sententiam diversam diligenter firmandam putavi.

A rhetoricae definitione ut ordiamur, constat primam eius iustam formam ab Aristotele prolatam esse, qua in re minime ei similem esse Ciceronem vidimus, cuius in libris iis, qui nobis hic respiciendi sunt, legitima rei descriptio non est. Itaque hanc quaestionem in eo versari necesse est, ut de singulis notionis partibus atque elementis quid is statuerit et quatenus in his cum Stagirita consentiat, reperiatur; ac primum ad genus proximum quod vocatur accedendum est; hoc autem a philosopho δυνάμεως voce describitur (rhet. I 2 p. 1355 b 26 coll. 1356 a 34, 1359 b 13, top. I 3 p. 101 b 6 eth. Nic. I 1 p. 1094 b 3), quae quid sibi velit examinandum est. Iure autem quaeri videtur, nonne etiam ad rhetoricam pertineat illius notionis, cuius proprietates ab Aristotele subtiliter descriptas esse inter omnes constat, explicatio, quae in metaphys. Δ 12 accuratiorque Θ 2 profertur.

Primum igitur haud dubie ea hic nisi potentiae sive facultatis vi intellecta esse non potest, cum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

simul etiam possibilitatem [1]) hac significari met. Δ 12 p. 1019 a 15—32 demonstretur. Hac disputatione quae quattuor notionis formae enumerantur (v. Schwegler. comment. p. 223. Bonit. II p. 253), earum prima huc pertinet, potentia activa, *δύναμις ποιητική*. Est autem haec *ἀρχὴ κινήσεως ἢ μεταβολῆς ἐν ἑτέρῳ ἢ* [2]) *ᾗ ἕτερον* Δ 12 Θ 1. Universalem hanc definitionem ad rhetoricam quadrare apertum est, cum in animis auditorum, in quibus summus inest eloquentiae finis rh. I 3 p. 1358 b 1 *τέλος πρὸς τοῦτον* — sc. *τὸν ἀκροατήν*, mutationem efficiat persuadendo, quod quidem positum est in hominibus ad oratoris voluntatem flectendis et ducendis. Illam *δύναμιν ποιητικήν* cum met. Θ 2 aut rationalem, *λογικήν* esse aut *ἄλογον* appareat, prior illa nimirum hic consideranda est, cuius exempla ars medica Δ 12 et architectonica Θ 2 nominantur. Sunt autem primum *αἱ μετὰ λόγου δυνάμεις πᾶσαι τῶν ἐναντίων αἱ αὐταί* Θ 2. Itaque qua ex parte cum his conveniat rhetorica, explicandum est, ut metaphysicam illam distinctionem ad eam quadrare demonstretur. Illo loco met. Θ 2 ars medica *δύναμις* esse dicitur, quod *ὑγίειαν* spectet simulque morbum huic contrarium: cui arti quod *ὑγίεια* est, cum idem rhetoricae fides audientium sit, haec *ἡ αὐτὴ τῶν ἐναντίων*, qualis esse aperte a philosopho dicitur rh. I 1 p. 1355 a 36,[3]) ita est, ut consideret, et quibus fieri possit fides et quibus demi: id quod eo vehementius, etsi non solum propterea ad rhetoricam pertinet, quod maximam partem ea, in quibus haec versatur, ita comparata sunt, ut etiam aliter se habere possint, quem ad modum expresse ipse dicit Aristoteles rh. I 2 p. 1355 a 31 *ἄλλως ἔχειν ἐνδέχεται* coll. 1357 a 15, 32; itaque eadem persaepe iure et affirmari possunt et negari. Postulatur igitur, ut rem iam ad singula persequamur, ab oratore, ut possit meditari et de iis, quae ad causam commendandam et quae ad eandem dissuadendam, nec minus quae ad quid laudandum quaeque ad idem vituperandum pertineant, denique quae ad rem accusandam quaeque ad eam defendendam. — Qua in re ne quid falsi tribuatur philosopho, discernendum est inter oratoris facultatem et ipsum usum. Neque enim ita *τὴν αὐτὴν τῶν ἐναντίων* rhetoricam esse, ut orator res diversas suscipere paratus sit, sed, cum p. 1355 a 29 *τἀναντία δεῖ δύνασθαι πείθειν* dicat, statim *τὸ ἀμφότερα πράττειν* excludi iam supra p. 2 vidimus. Quod iis, quae susceptae causae obstent, non idem atque his, quae ei fidem faciant, tribuendum esse docet, id ad ipsam hanc quaestionem, possitne illa metaphysica *δυνάμεως* notio referri ad artem dicendi, nullius iam est momenti nisi ea ex parte, quod etiam in minuta hac re philosophi in libris metaphysicis explicatio convenit cum rhetorica: v. met. Θ 2 p. 1046 b 8—13 *ὁ δὲ λόγος ὁ αὐτὸς δηλοῖ τὸ πρᾶγμα καὶ τὴν στέρησιν* (coll. de *στερήσει* Bonit. comment. p. 383 in.) *πλὴν οὐχ ὡσαύτως, . . . ἔστι δ' ὡς τοῦ ὑπάρχοντος μᾶλλον κτλ.* et rhet. I 1 p. 1355 a 32—34, ubi contraria consideranda esse dicit *ἵνα μήτε λανθάνῃ πῶς ἔχει καὶ ὅπως ἄλλου χρωμένου . . αὐτοὶ λύειν ἔχωμεν.*

Sed etiam reliqua omnia, quae de facultate rationali a Stagirita proferuntur, ad dicendi artem quadrare necesse est, quare iam explicabuntur illa in hanc translata et adhibita.

Ab *ἐπιστήμῃ δύναμιν* omnino abhorrere ex philosophi ratione Bonitius in comment. p. 382 iure statuit his verbis: „theoreticae disciplinae, quae cognoscendo absolvuntur neque extra se ullum opus

---

[1]) Hanc a disciplinarum consideratione abesse iam Trendelenburg. in accuratissima illa enarratione, quae est in commentario librorum d. an. p. 298 sqq. ostendit. — Huc refero rhet. II 19 in. p. 1392 a 11 sq., ubi Knebel. in interpretat. p. 105 et Ad. Stahr. p. 176 dicunt „fähigkeit," cum videatur esse möglichkeit. Ne Petrus quidem Victorius alienus est ab horum sententia, cum conferat V. eth. Nic. lib. (p. 426 ed. Florent. 1579). Possibilitatis et potentiae notiones inter se coniungere illamque ad cognitionem hominum referre studuit Maercker in libro statim commemorando: die willensfreiheit im staatsverbande p. 34 n. 2 his verbis: *δύναμις* als logische macht, als möglichkeit, der wirklichkeit der *ἐπιστήμη* entgegengesetzt."

[2]) *ἢ* recte add. a Schweglero et Bonitio.

[3]) cf. quem Alexandri Aphrodis., cui plurimum in Aristotelis librorum explicatione tribuendum esse nemo negaverit, ex topic. scholiis locum (ed. acad. Berolin. p. 251 b 32 — 252 a 7 ad top. I in.) attulit P. Victorius comment. p. 28.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

perficiunt, non possunt referri ad *ἀρχὰς μηταβλητικὰς ἐν ἄλλῳ*" i. e. ad *δυνάμεις*. Expetunt hae rerum cognitionem non huius ipsius causa, sicut theoreticae disciplinae, ideoque illam non usque ad principia, sed eo tantum persequuntur, ut ad faciendum et agendum sufficiat. Ita rhetorica tantum modo ad persuadendum, minime ad sciendum accomodate res considerat[1]), quapropter non est *διδασκαλική* (rh. I 2 p. 1355 b 29, 33 sq. — met. I 1 p. 982 a 13, 28 sq.) neque eorum, quae huic subiciuntur, pleraque omnino ad maiorem *ἀκριβείας* gradum, quam qui fide contineatur[2]), efferri possunt (rh. I 2 p. 1357 a 32, cf. eth. Nic. VI 5 p. 1140 b 30, ubi *φρόνησις*, qua ex parte practica est, a scientia removetur, quod ipsum valet ad rhetoricam), propria autem omnino nulla rhetoricae est certa rerum regio, itaque perscrutari ea ne potest quidem ullam rem; hoc autem non in *δυνάμεως* inesse notione infra indicabitur. Vix est, cur in hac quaestione nihil tribuendum esse dicamus eius modi locis, qualis est rhet. I 2 p. 1358 a 25 *ἄλλην ἐπιστήμην τῆς ῥητορικῆς*, etiamsi exquisite vocabulum scriptor posuerit, aut rh. I 4 p. 1359 b 16 *ἐπιστήμη λόγων*, neque rh. I 1 extr. p. 1355 b 19 *ἔστιν ὁ μὲν κατὰ τὴν ἐπιστήμην . . ῥήτωρ*, in quo nihil obstat, ne P. Victorii explicatio (p. 27 ed. Florent.) accipiatur, qui „eo nomine hic ut multis aliis locis[3]) abusum esse nec pro vera id scientia, sed pro cognitione et intelligentia cepisse Aristotelem" dicit. Itaque hac in re accedere me non posse Maerckero profiteor, cum ab *ἐπιστήμῃ* rhetoricam non procul abesse statuat in libro, qui inscribitur: die willensfreiheit im staatsverbande, qui liber in Aristotelis doctrina persequenda nostroque saeculo et commendanda et recludenda utilissime versatur; dicit autem eius p. 61: Aristot. gründet überzeugung nicht auf den blinden glauben, sondern auf die wissenschaft, den *λόγος*, und daher durfte er auch die rhetorik unter die wissenschaften setzen, die *ἐπιστῆμαι*, sofern sie ein reales obiect hat."

Nec minus ea ex parte commode *δυνάμεως* vox electa est, quod ab Aristotele nihil de hoc decernitur, sitne ars dicendi *ποιητική* an *πρακτική*: utraque enim illa notione comprehenditur. Met. *Θ* 2 *ταῖς μετὰ λόγον δυνάμεσιν* adnumerantur *πᾶσαι αἱ τέχναι καὶ αἱ ποιητικαὶ ἐπιστῆμαι*, inter quas significationes non multum interest (v. commentarios velut Bonit. p. 382, eiusd. indic. Aristot. p. 759a 28 sq.); minime autem practicas, quae vocantur, disciplinas a *δυνάμεσιν* excludi intellegitur ex met. K 7 p. 1064 a 13, ubi in his et in poeticis disciplinis *ἀρχὴν κινήσεως ἐν ἄλλῳ* esse apparet. Aeque rhetorica ad utrumque genus pertinet: namque oratio si per se spectatur velut artificium, id quod in genere demonstrativo fere fit, non qua ex parte alicui servit consilio et usui, *τέλος* est rhetoricae *τὸ ποιητόν* illaque poeticis adnumeranda est disciplinis, quo in philosophiae Aristoteleae explicatione retulit Brandisius;[4]) contra eadem qua ex parte servit politicae (cui aperte subiungitur eth. Nic. I 1 p. 1094b 2 sq.) quae quidem et *βουλευτική* et *δικαστική* est (eth. Nic. VI 8 p. 1141b 33), sicut etiam quae singulorum illius generum *τέλη* sunt, eadem *φρονήσεως*, prudentiae, quae in agendo cernitur (v. rhet. I 3 p. 1358b 22, 25 eth. Nic. VI 13 in. p. 1143b 22), practica est disciplina eique Stagiritae philosophiae parti adiungitur a Zellero[5]). Convenit cum hoc genere praeterea in eo, quod practicis in disciplinis ad utrum *τῶν ἐναντίων*, quae pariter illis subiecta sunt, actio se vertat, *προαιρέσει* decerni eth. Nic. VI 2 p.

---

[1]) Uno in genere rerum id ad singula persecutus est Kalischer in dissertat. de Aristotelis rhetor. et eth. Nicom. 1868 Hal. ed.

[2]) cf. Anton. disquisitionem de ratione, quae inter Aristotelis rhetoricam intercedat et Platonis Gorgiam in Mus. Rhen. XIIII p. 583 extr.

[3]) Huius generis loci satis multi in Bonit. indice Aristotel. p. 279 s. f. 280 in. enumerantur, quo etiam tres illi, quos supra commemoravi, referendi sunt. Conferri potest praeterea eth. Nic. II 1 p. 1103 a 31 sq. *ἀρεταὶ καὶ αἱ ἄλλαι τέχναι* coll. II 3 p. 1105 a 25 — b 5.

[4]) v. eius histor. philos. Graec. et Rom. II b p. 147.

[5]) v. eius explicationem philosophiae Graecae pt. II 2 p. 125, 595.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

1139a 31 (cf. indic. Bonit. p. 207b 22) dicitur idemque ad rhetoricam valere apparet ex loco rhet. I 1 p. 1355b 18, ubi rhetorem, qui arte sua recte utatur, a sophista, quocum facultas contraria considerandi communis sit, philosophus indicat differre *προαιρέσει*, quae diversa sit in illis duobus. Rhetoricam si *τέχνην* dixisset, ad poeticas tantum revocasset disciplinas (v. eth Nic. VI 4 p. 1140 a 17), ad quas illa quidem, sed non solas, referenda est. Quare etiam hac ex parte *δυνάμεως* vox intellecta ea sententia, quae in libris metaphysicis explicatur, apte electa est.

De rerum, in quibus facultas aliqua versetur, ambitu ex ipsa *δυνάμεως* notione nihil potest colligi, sed is definitur natura rei, quae cuiusque *μεταβολῆς* — mutationis externae — causa existit, ut facultates et habere definitas rerum regiones, velut *ἰατρική* et *ἀρχιτεκτονική*, et velut rhetorica atque dialectica iis carere possint. Itaque *δύναμις* cum nominetur ars dicendi, in ea notione nisi per accidens, quod vocant, id non inest, quod nullum certum rerum campum habet suum et ad solas cogitationum formas pertinet, nimirum quod rhetorica nihil aliud est nisi logicae, quae ad omnia aeque valet, ad persuadendum, quem ad modum dialectica ad disserendum, accommodatio atque traductio. Nusquam finibus tam angustis Stagirita circumscripsit *δύναμιν*, neque modo his non quid eius proprium sit — essentiale dicunt logici — quasi uno in conspectu intellegitur, sed ne definitur quidem iis illa notio una aliqua ex parte, nimirum quid ab *ἐπιστήμῃ* differat. Neque igitur iure Spengelius in specim. commentar. Monach. 1839 ed. p. 17 pariterque in rhetor. commentar. p. 33 sq. I 2 in. *ἔστω δὴ ῥητορικὴ δύναμις* id potissimum statuisse videtur in *δυνάμεως* notione inesse, ut hac non certam quandam disciplinam, sed nisi formam nihil comprehendi significetur. Namque ex quo hoc efficit loco, rh. I 4 p. 1359 b 13, huius alia videtur esse vis. Quod quo clarius eluceat, quae l. l. sententiarum ratio sit, explicetur aliquanto longius. Non singillatim se enumeraturum ea, de quibus agi soleat in contionibus, neque singulas rerum formas se esse distincturum neque ad veritatem omnia se definiturum esse dicit v. 3—5; haec a rhetorica aliena esse (v. 6) et ad singulas disciplinas revocari oportere (v. 7); re vera enim prorsus abhorrere rhetoricam a rebus cognoscendis (v. 8); itaque quo quis magis non sicut *δυνάμεις* — quae in agendo et faciendo versantur, ideoque non ab usu recedunt nec res perquirunt — sed ut *ἐπιστήμας* (quarum est indagare rerum causas easque persequi usque ad principia) rhetoricam et dialecticam constituat atque tractet, eo magis harum naturam eum neglegere (v. 14), quae non rerum cognoscendarum, sed dicendi sint disciplinae (*ἐπιστῆμαι*[1]) *λόγων* — *ἐ. ὑποκειμένων τινῶν πραγμάτων*) v. 16. His non tam de materiae ambitu quam de eius perscrutandae subtilitate agi apparet, neque quod *δύναμις* est rhetorica, sed quod *δύναμις λόγων*, nullum habet rerum campum. Minime enim philosophus omnem *δύναμιν* vult esse *ἐπιστήμην λόγων*. Itaque, quem ad modum supra dictum est, *κατὰ συμβεβηκός* tantum, ut ipsius Stagiritae verbo utar, cum *δυνάμει* id cohaeret, quod „rhetorica non nisi formam comprehendit."

Gravissimus quaestionis locus hic est, quid intercedat inter *δύναμιν* et *τέχνην*, differantne igitur ita, ut excludant inter se. Alia, atque quam supra p. 9 in. attuli, *δυνάμεως* divisio profertur met. *Θ* 5 in. p. 1047 b 31 sqq. *ἁπασῶν τῶν δυνάμεων οὐσῶν τῶν μὲν συγγενῶν τῶν δ' ἔθει τῶν δὲ μαθήσει οἷον τῆς τῶν τεχνῶν κτλ.*, quae genera singula cum singulis illis prioribus minime congruere Brandis. (in philos. Graec. et Roman. histor. III Aristotel. p. 511) explicavit, ut *λογικαὶ δυνάμεις* non solum ad *τέχνας*, sed etiam ad *τὰς ἔθει δυνάμεις* pertineant (ad quas praeterea etiam *ἀλόγους* pertinere iure is

---

[1]) Hic non exquisite dictam, sed latiore sententia intellectam *ἐπιστήμης* notionem esse subaudiendam clarum est: re vera nihil subiectum esse rhetoricae indicat nisi orationis formas, sed a se huic plures res esse tributas (l. l. v. 8 *διὰ τὸ πολλῷ πλείω δεδόσθαι καὶ νῦν αὐτῇ τῶν οἰκείων θεωρημάτων*), id quod fieri possit, dum modo ita tractentur, ut conveniat *δυνάμεσιν* (v. 13), accommodate ad commune iudicium (cf. v. 18: *σκέψιν ὑπολείπει τῇ πολιτικῇ ἐπιστήμῃ*).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

l. l. dixit): unde latiorem quam artis notionem esse δυνάμεως apparet. — Ubi δυνάμει, qua et rei exercitatio ab arte aliena (inartificialem vocant rhetores) et ars comprehenduntur, opponitur ars, velut met. *E* 1 p. 1025 b 23 *Z* 7 p. 1033 a 27, in hac, quod μαθήσει orta est, conscientiam rei inesse, cum in ἔθει hanc inesse non oporteat, significatur, et opponitur singularis quaedam species ab universo genere separata iis huius formis, in quibus id, quod illius proprium est, non cernitur (id quod comprobatur imprimis loco illis simili met. *K* 7 p. 1064a 13, ubi τέχνη εἴτ' ἄλλη τις δύναμις nominantur): duobus igitur illis locis δύναμις intellegitur ea, quae est actionum effectrix non cum eorum, quae efficiuntur, accuratiore cognitione coniuncta.

Ad hanc δυνάμεως notionem si quis rhetoricam revocat, ea utrum τέχνη an ἄτεχνος τριβή, utrum ἔθει an μαθήσει orta sit, in medio relinquitur: cumque utroque modo, et temere (εἰκῇ) et cum rationum scientia dicendi facultatem exerceri posse ipse Aristoteles dicat rh. I 1 in., hac ex parte illa δυνάμεως notio convenit rhetoricae eamque philosopho in arte oratoria definienda obversatam esse illa rei explicatione p. 1354a 6 sqq. veri simile fit.

Quid autem, quod τέχνη dicitur esse ἕξις, cui δύναμιν aliqua ex parte contrariam esse notum est? (v. Trendelenburg. praeclaram in illis ad lib. d. an. comment. disquisitionem l. l. p. 311.) Eth. Nic. VI 4 τέχνη ἕξις μετὰ λόγου ποιητική dicitur, quibus ex verbis illa μετὰ λόγου ποιητική in facultatis et artis definitionibus consentiunt, ἕξις autem et δύναμις, cum haec contrariorum eadem sit, id quod illi non convenit (eth. Nic. V 1 p. 1129 a 14 sqq.) ita tamen possunt coniungi, ut illa, cum sit firma atque constans facilitas parta exercitatione (geübte kraft, fertigkeit: eth. Nic. II 1 p. 1103 b 21 ἐκ τῶν ὁμοίων ἐνεργειῶν αἱ ἕξεις γίνονται), facultas agendi sit quasi quiescens (eth. VII 4 p. 1147a 12 sq.—cf. met. *Θ* 5 in. p. 1047 b 33 sq. coll. rhet. I 9 p. 1366a 38 sqq. cum eth. VI 5 p. 1140 b 5), quae singulis actionibus vim suam probet; quod si fecit, δύναμις in alteram abiit partem nec iam ἡ αὐτὴ τῶν ἐναντίων est. Latius igitur patente facultatis notione aliqua ex parte ἕξιν comprehendi apparet: orta esse potest δύναμις etiam aliis rationibus atque exercitatione, omnis autem ἕξις, qua ex parte ad agendum pertinet, δύναμις est. Itaque eadem res, originem si spectas, ἕξις, contra si vim effectricem consideras, δύναμις vocari potest, unde fit, ut illa potius ad actionis subiectum pertineat, cuius exercitatione vis paratur, haec potius ad obiectum, cum δύναμις sit κινήσεως ἀρχή, principium, quo efficiatur, ut aliud aliquid, ἕτερόν τι, fiat. Diversis igitur ex partibus eadem vis effectrix his duobus significatur nominibus, nulla autem de huius ipsius natura in iis inest discrepantia, minimeque propterea, quod δύναμις esse dicitur rhetorica, ab arte abhorret.

Atque aperte id de hac Aristoteles iudicavit: nam cum artis id esse met. I 1 p. 981 a 28 dicatur, ut τὸ διότι perspiciatur et τὸ καθόλου observetur, utrumque etiam in huius explicatione requiritur, cum ἐνδέχεσθαι τὴν αἰτίαν θεωρεῖν rh. I 1 p. 1354 a 10 dicat[1]), id quod a se factum iri promittere videtur et re vera fecit, partim ipse id monens nominatim, velut cum asserat verbis αἴτιον δέ.., τὸ δὲ διὰ τί.., ἔστι γάρ.., διὰ γὰρ τό... aliis, partim tacite rationem intexens; nec minus a tractatione in singulis ducendis se continente ad universam doctrinam traducendam esse rationem docet I 2 p. 1356 b 29—35 ἡ ῥητορικὴ οὐ τὸ καθ' ἕκαστον ἔνδοξον θεωρήσει... ἀλλὰ τὸ τοιοῖσδε coll. met. I 1 p. 981 a 10 τὸ δ' ὅτι πᾶσι τοῖς τοιοῖσδε κατ' εἶδος ἓν ἀφορισθεῖσι τοδὶ συνήνεγκεν ὑπόληψιν ἔχειν, τέχνης (ἐστίν). Neque illa notio a quibusdam locis aliena est, quibus scriptor ea, si a rhetorica abhorreret, non usus esset, velut I 1 p. 1355 b 11 καθάπερ ἐν ταῖς ἄλλαις τέχναις πάσαις, quamquam si quis artem fuisse Aristoteli rhetoricam hoc uno loco docere voluerit, facile is refutari possit

[1]) Huc potius locus Quintil. institut. or. II 17, 14 referendus videtur, velut a Bernays. fit (de dialog. Aristot. p. 63) quam ad rhet. I 2, 1 i. e. p. 1355 b 27 sq., qui locus alteri indici Bonnelliano ed. min. p. 307 b insertus est.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

similibus quibusdam aliis (quorum nonnulli supra p. 10 allati sunt). Huc pertinet is locus, quo *ἄλλαι τέχναι καὶ δυνάμεις* opponuntur rhetoricae et dialecticae I 2 p. 1358 a 6, ubi eandem fere utriusque notionis vim esse elucet; neque enim ad *δυνάμεις* simpliciter dictas quadrarent, quae sequuntur *τὰς μὲν οὔσας κτλ.*, cum facultatis vocem de iis quoque usurpari disciplinis viderimus, quae nondum ad artem elatae sint, sed in *ἐμπειρίᾳ* innitantur. Ac ne inscriptio quidem librorum artis oratoriae neglegenda est (v. Spengel. in Mus. Rhen. l. l. p. 484 med.), in qua si *τέχνης* solius nomine usus esset, ad priorum consuetudinem id fecisset; nunc, cum *τέχνη ῥητορική* inscripti illi sint (et in codd. et in testimoniis apud Diogenem Laert.), non sine causa id fecisse existimandus est. Significat autem non rationem artis dicendi, sed ut aliorum librorum inscriptionibus (*ἠθικά, πολιτικά*) illam ipsam artem. Neque in singulis rhetoricae partibus artem valere omittendum est, si quidem a partibus ad totum fieri potest rationis conclusio: dicit autem *τὰς πίστεις ἔντεχνον* (idque *μόνον*, de quo hic non agitur) I 1 p. 1355 a 4 *ἔντεχνος μέθοδος περὶ τὰς πίστεις ἐστίν. Λέξιν* autem *ἔντεχνον* vocat III 1 p. 1404 a 16, cui toto hoc capite adhaeret *τάξις*, ut p. 1405 b 15—22 apparet, cum *τὸ ἔχειν ὡς δεῖ λέγειν*, (quod opponitur *τῷ ἔχειν ἃ δεῖ λέγειν* p. 1403 b 16, quibus duobus universa continetur rhetorica) dividatur in *λέξιν* et *ὑπόκρισιν* et de his duabus tantum ibi agatur. Utraque igitur, *λέξις* et *τάξις*, ad artem revocata est.

Quae cum ita sint, cum *δύναμιν* dicat Aristoteles rhetoricam esse, eo ab arte hanc alienam esse non indicavit, immo veri simile est electam esse eam vocem, qua comprehenderetur et *ἄτεχνος* et *τεχνική* facultatis dicendi exercitatio; idque factum esse potest, quod antea nondum haec ad artem elata erat[1]), *δυνάμεως* autem notionem, qualis a philosopho in libris metaphysicis explicatur, quae huius in libris prima respicienda est, quadrare ad rhetoricam et, compluria cum sint graviaque indicia, magna cum similitudine veri ad illam referri vidimus.

Contra in libris rhetoricis nullum reperitur indicium, unde in *δυνάμεως* notione, quae est in definitione artis oratoriae, inesse colligas *φύσεως* vim, quam tacite arte indicari vel sentiri Spengelius statuit in commentatione supr. laud. (in Mus. Rhen. XVIII), cuius p. 484 med. haec dicit: keine *ἐπιστήμη* ist die rhetorik dem Aristoteles, . . . nicht einmal eine *τέχνη* nennt er sie; sie ist ihm nur eine *δύναμις*, vermögen, fähigkeit. not. 5: Eth. Nic. II 4 *δυνατοί ἐσμεν φύσει.* — Ac similiter p. 487 s. f. diejenigen, welche die rhetorik zumeist als eine natürliche Begabung betrachteten, nannten sie eine *δύναμις* (facultas Cicero, vis Quintilian). Aristoteles scheint zuerst diesen generellen namen eingeführt zu haben. cf. Volkmann. in copiosissimo illo atque accurato de veter. Graecor. et Romanor. rhetor. libr. p. 18 c. adnot.

Hanc quoque illius vocis esse vim nemo negabit: v. Waizii commentar. organ. p. 362 ad hermeneut. p. 22 b 38 Bekk., quo, sicut etiam ad indic. edit. academ. Berolin. p. 206 b referendi sunt, loci addi possunt ex eth. Nic. I 12 p. 1106 b 12, II 4 p. 1105 b 20 sqq. VI 13 p. 1144 a 24, 25, 29, X 10 p. 1181 a 3 eodemque pertinet is locus, quem Spengel. affert, ubi cum quaeratur, sitne virtus *πάθος* an *δύναμις* an *ἕξις*, hae duae ita distinguuntur, ut illa quidem, sed non virtutes et vitia, quae ad *ἕξιν* revocanda sunt, *φύσει* esse dicantur. Minime vero haec vis in quolibet vocis usu inest, ut manifesto apparet, cum referatur ad *ἰατρικήν* met. *Δ* 12 *Θ* 2 top. I 3 rhet. I 3, ad *διαλεκτικήν* top.

---

[1]) Bene hoc cum eo convenit, quod Bernays. de Aristotel. dialog. p. 63 v. 5—6 acute ex Quintiliani verbis II 17, 14 collegit, ipsum Aristotelem superiore tempore in Gryllo dialogo artem esse — videlicet eo tempore — rhetoricam non modo aperte negasse, verum etiam subtilibus id impugnasse argumentis, ut cum ipse rhetoricae ad artem promovendae periculum faciat, tamen existimari possit consulto et cum causarum conscientia evitasse iustam ac plenam in hac definitione artis notionem latiusque patentem *δυνάμεως* elegisse, quae etiam priorum rhetorum artibus conveniret.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

I 3 rhet. I 1, ad *στρατηγικήν* eth. Nic. I 1, ad *οἰκονομικήν* ib., ad *οἰκοδομικήν* met. *Δ* 12, ad *πολιτικήν* pol. III 12 in. p. 1282 b 16 coll. eth. Nic. X 10 p. 1180 b 31; adde *κυβερνητικήν* ap. Alexandrum Aphrodis. ad top. I 3 p. 101 b 6 p. 255 a 29 Brandis., quae omnes artes non solum aut praecipue innituntur in indole. Accedit, quod nusquam Aristoteles ad hanc descendit quaestionem, sitne rhetorica in natura potissimum posita an in alio fundamento, quamquam natura, ratio, exercitatio quid valeant eum non ignorare demonstratur eth. Nic. X 10 p. 1179 b 20 sqq. *φύσει, ἔθει, διδαχῇ*, minimeque in artis capite primo, quo singulae definitionis quasi elementa colliguntur, id indicatum est; nam cum p. 1354 a 7, 10 alios oratione valere dicat *εἰκῇ* sive *ἀπὸ ταὐτομάτου*, temere et casu, alios *διὰ συνήθειαν*, certe hoc non e sola pendet indole, omninoque cum haec arti opponantur, non tam de eo agitur, unde oriatur vis orationis, utrum natura potissimum efficiatur an institutione, quam ex his duobus exercendae eloquentiae generibus colligit philosophus etiam ad artem eam efferri posse; dicit enim *ἐπεὶ δ' ἀμφοτέρως ἐνδέχεται κτλ.* Itaque gradationem quandam atque adscensum in hoc loco inesse arbitror, cum, qui *διὰ συνήθειαν ἐπιτυγχάνουσιν*, propius (ut hanc profectam esse dicit *ἀπὸ ἕξεως*, cuius genus quoddam artem esse vidimus), quam qui *ἀπὸ ταὐτομάτου* et *εἰκῇ*, ab arte abesse perspicuum sit[1]), ut haec eius sit sententia: quoniam alii casu bene dicunt causis prosperi eventus prorsus neglectis, alii ex consuetudine quadam rationes usu probatas sequuntur non illas quidem diligentius exploratas at certe observatas, etiam accuratam earum cognitionem accedere posse apparet, quo ars oratoria efficiatur. Itaque indolis speciem subesse non potest concedi nisi in *εἰκῇ* voce, eaque naturalem dicendi facultatem una comprehendi quamquam non negatur, tamen id illo loco ne sentitur quidem clare, nedum maioris hoc esse statuatur momenti. Idque credibile est etiam hanc ob causam, quod philosopho non tam propositum est explicare, quibus opus sit ei, qui orator futurus sit, quam ad artis rationes revocare rhetoricam.

Δύναμιν igitur, ut iam finem faciam disputandi, Aristoteles cum rhetoricam dixit, neque inferiorem elegit notionem, sed latius patentem, cui subiungeretur et artis expers et ex arte instituta dicendi facultatis exercitatio, neque in natura potissimum eam positam esse significavit.

Hanc philosophi sententiam non aperte amplectitur Tullius, at in singulis plerisque eum ab hac non procul abesse ostendi potest. Ac primum quidem is ipse de rhetorica saepissime facultatis voce utitur, etsi excludendi hic ii sunt loci, quibus significatur natura (d. inv. I 2 d. or. I 95, 96 202 cf. p. Arch. 2): haec autem verbi vis apud Tullium minus abhorret ab eloquentia, cum eam universam, non solam rhetoricam, quae quidem ex arte pendeat, tractet in eaque naturae, id quod infra videbimus, permultum tribuat. Sed reliquis, ubi illa vox apparet, locis etiam Cicero latissime patentem notionem elegit; facultas enim ars dicendi vocatur plurimis iis locis, quibus nihil nisi *τὸ δύνασθαι* in ea inest: d. or. I 76, 78, 84, 90, 214, 215, 216, 218, 226, II 33, 35, 49 (cf. etiam 358); III 28, 34; partit. 140; or. 70, 113; d. off. II 66 (cf. d. or. I 69 poetica facultas); etiam cum vi coniuncta est facultas II 125, haec autem ipsa apparet III 55 eaque nihil nisi posse significatur, cuius rei testimonium est III 75 s. f. coll. 76 in. Atque ut facultas simpliciter hac sententia ponitur, ita etiam ad singulorum hominum potestatem ac copiam dicendi revocatur d. or. I 30, 44, 78, 117, 135, d. opt. gen. or. 6, 10; d. off. II 67, eandemque vocem Antonius d. or. II 128, 294 de sua eloquentia usurpat non tam propter modestiam, quam quod universae sententiae suae constat. Optimeque cum hac facultatis notione sententiae conveniunt, quas Cicero a personis colloquii exprimi fingit, cum eae

[1]) Non procul ab hac sententia abesse video, quamvis ipsam non plane exprimat, Anton. in commentat., quam supra p. 10 commemoravi, p. 582 n. 20. — cf. praeterea ind. Bonit. p. 261 a 6 sq. Vater. animadvers. ad Ar. rh. loc., qui supra p. 5 laudatus est.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

non paucis locis (v. Spengel. l. l. p. 488), quorum exemplum sit d. or. II 147, in medio relinquant, sitne eloquentia consuetudo, qua sine iudicio ac quasi inscius artificiis utitur orator, ut de quadam huius parte significavit d. or. III 150, 173, an animadversio, qua iam non temere illis utitur, sed eorum conscientia imbutus [1]), an denique ars, ut etiam causae illorum perspectae sint: namque hae omnes notiones, quibus varii disciplinae gradus significantur, comprehenduntur facultatis nomine.

Sed cum nihil obstet, ne in hac non minus, quam in *δυνάμει*, cui plane respondet, id inesse statuatur eam in utramque partem patere, minime tamen id a Cicerone — quandoquidem plane philosopham illam Stagiritae in libris metaphysicis de *δυνάμεως* vi atque natura disquisitionem iure nemo suspicabitur a Tullio perceptam esse [2]), qui non sane eius modi notiones accurate circumscriptas animo tenebat quique pariter disciplinarum in theoreticas poeticas practicas divisione alienus est [3]) — illis locis ita sentitur, ut ab Aristotele definitum est, praesertim si ad cognoscendum (*δυνάμεις μετὰ λόγου*) illa vox revocatur. Quare cum illa vi non alienus sit locus d. or. II 215 in., ubi „omnium rerum in contrarias partes ex iisdem locis suppeditari facultas" dicitur (v. partit. 138), ita nimirum, ut *τόποις* et probandarum propositionum et refellendarum aut rei non minus quam ei contrariae confirmandae via demonstretur, in illis igitur haec vis ad diversas partes valens insit, nec minus partit. 140 in., ubi dicendi de bonis et malis caeterisque rerum generibus facultas commemoratur, tamen ad totam rhetoricam non videmus illam notionem hac ratione referri. De or. III 71 cum ad summam in illa arte perfectionem, quae in Pericle et Demosthene appareat, necessaria esse dicatur „Aristotelea vis" posita (III 80) in illa „facultate rei in diversas partes tractandae", id minime ad ipsam rhetoricam revocandum est, sed ad universae philosophiae peripateticae de rebus contrarie disputantis indolem ac naturam, quod Ciceronis ex sententia magnum rhetoricae adiumentum est, veram tamen et intimam eius vim hoc exprimi nusquam indicavit. Praeterea, ne in sola facultatis voce de arte dicendi usurpata haereamus, id, quod Stagiritae ex iudicio in hoc verbo inesse vidimus, — ut disciplina diversis de eadem causa sententiis pariter serviat, — aliis, ubi facultatis vox non appareat, locis a Tullio rhetoricae tribui, quamvis in huius artis notione non necessario id inesse putet, iam § 1 explicatum est.

Itaque cum ipsa vox in Tullii perceptis sit eadem atque apud philosophum, eademque, quae hac significatur, illius atque huius de arte dicendi sententia, quamquam utrumque non ita coniunctum

---

1) Inter has duas (animadversionem, artem) et consuetudinis cum exercitatione coniunctionem (d. or. I 81, 90 II 32; 298, 357 — qui duo loci iam a Spengelio in Mus. Rhen. l. l. p. 489 n. 13 allati sunt — III 194 Brut. 276) hoc interest, ut exercitatio transeat etiam ultra animadversionem eaque, quae animadversione percepta sint, iam ad usum traducat, sicut in re singulari, elocutione, d. or. III 93 inferiores gradus uno exercitationis nomine comprehenduntur. Consuetudine igitur cum artificiis utantur, fit ob sensum quendam obscurum; cum animadversio accesserit, eorum est conscientia; si vero exercitatio adesse dicitur, etiam consulto et e ratione adhibentur illa. Hinc simul intellegitur, quid inter ipsam consuetudinem et exercitationem saepius coniunctas discriminis intercedat. Sed consuetudo cum in hac rei definitione longissime ab arte remota sit et quasi infimus, quo haec praeparetur, gradus ab eaque maxime diversus (or. 162, sicut Brut. 258 opponitur rationi et scientiae), tamen illa consuetudo in exercitatione niti potest, cum exercitatione adeo imbuti simus usu artificiorum, ut hunc iam ad nos ipsi minime attendentes sequamur (d. or. III 227).

2) v. dissertat. p. 44 n. 1 de *ἕξεως* vi, coll. Ritter. in programmat. Servestan. a. 1846 commentat. de *ἐντελεχείας* sententia. R. Kuehneri de Ciceronis in philosophiam meritis liber ab huius modi quaestionibus, quae ad abdita notionum vestigia in Ciceronis doctrina exploranda pertinent, ex proposito alienus est.

3) Theoreticas et poeticas artes ita distinguit acad. II 22: artium aliud eiusmodi genus est, ut tantummodo rem cernat, aliud, ut moliatur aliquid et faciat . . . quarum omne opus est in faciendo atque agendo . . . Poeticarum quid proprium sit disciplinarum ei non ignotum fuisse intellegitur etiam ex loco de nat. deor. II 22: censet Zeno artis maxime proprium esse creare et gignere. Praeterea scientiae delectationem et efficiendi utilitatem ab eo de rep. V 3, 5 seiungi moneor, quae seiunctio prope abest ab eo, quo illa disciplinarum genera distinguuntur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

invenimus, ut rhetoricam, quod dicat facultatem, hoc indicari eam in utramque partem patere perspexerit, si quaerimus, num qua in eo consensu Aristotelis vis reperiatur, ut hanc notionem propter eius quandam imitationem elegerit, hoc non est cur credamus. Nam cum Ciceroni, quae vera rhetoricae natura esset, in medio relinquenti verbum esset eligendum, quo eae notiones, ad quas omnino respiciendum erat, simul continerentur, hoc potissimum offerebatur; quare non tam in sententiarum similitudine quam in linguarum natura ille consensus positus est, cum uterque notionem quaerat latissime patentem.

Restat, ut indagetur, quid hoc in genere de arte, quam ab Aristotele, et si τέχνης significatio cum δυνάμεως vi simpliciter comparatur et si ipsa philosophi de rhetorica verba examinantur, minime excludi apparuit, iudicaverit Cicero. Non raro ille quidem de arte dicendi loquitur, sed pertineatne haec, quae eius est apud Aristotelem sententia, ad rhetoricam, potest dubitari. Revocanda est enim artis notio in illius libris primum ad rationem (d. or. II 147, 201 III 70, 107 s. f. 110, 151, 182, 196, 215 Br. 48 or. 43, 50, 162, 179, 183, 203 cf. de rep. I 2), quapropter ut apud Graecos etiam libri, quibus illa explicatur, hoc nomine significantur (d. or. III 75 Br. 46 cf. Madvig opusc. I p. 61 in.). Cernitur autem ratio in cognoscendis rerum causis (d. or. I 109 II 32 III 175 or. 162, 180), quibus cognitis res ipsae perspiciuntur proptereaque harum naturas explicare artis esse dicitur or. 179; in hac igitur cum id contineatur, ut artificium cum eius conscientia exhibeatur, opponitur ea naturae et sensui (or. 183), sensui (ib. 70), quibus qui ducitur, caret conscientia illa; praeterea opponitur ei cognitionis gradui, qui iam ultra hunc infimum positus est, observationi et animadversioni (a quibus qua ratione differat ars, modo illustratum est) or. 172, 178 (sicut in Br. 33 s. f. ratio et observatio disiunguntur). Accedit, quod rationis est systematis forma uti (d. or. I 157, 186, 188), unde fit, ut haec ipsa eo nomine ornetur (d. or. III 98). — Altera artis notio, prior utique, si respicis originem, ea est, quae refertur ad actionem, (quam et in faciendo et in dicendo positam esse posse perspicuum est) exigendam ex ratione, quae ad usum transfertur, idque cum ad singulorum hominum, qui illam actionem exerceant, facultates referatur, velut d. or. III 217, hoc quidem hac quaestione alienum est, ubi de rei potius natura quam hominis in ea vi — de obiectiva, quam nos dicimus, artis specie — agitur. Hanc igitur, quamquam aperte et ex proposito Cicero nusquam de eius notione agit, intellegi tamen putandum est d. or. II 151 III 26, 86, 127, 128, 136, 139, 180, 195, 196, 197, 212, 217 Br. 3, 26, 331 or. 4, 54 cf. de fin. V 26 acad. pr. II 7 de nat. d. II 22,[1]) cumque hoc in genere ars opponatur actionibus, quae fiant nulla conscientia naturae earum, ob eamque rem illius proprium, quod accedente ratione efficitur, in hac conscientia positum sit, refertur illa et ad eas, quas nos nunc dicimus, artes et ad eas disciplinas, quae a nobis ad scientiarum genus revocantur, d. or. I 8, 10, 44, 92, 108 II 30 III 79 de geometria, or. 114 ubi O. Jahn. not. cf., 211 Br. 152 ubi eiusdem brevis et acuta conferatur adnotatio. Verum ad has ut iure aliqua referatur disciplina, non illa quasi formalis de tractandae eius ratione lex, ut causae artificiorum addantur totaque ad systema componatur, sufficit, sed etiam materies quodam modo comparata esse debet idque clarissime in illis d. or. locis apparet; nam illa formali lege efficitur tantum ars populari sensu dicta (d. or. I 109), cum, ut ars subtili definitione intellecta evadat, etiam materies cognitioni apta esse debeat (ib. 108).

Haec autem artis notio opponitur ei actionis sive creandi gignendive generi, quod aut natura, qua et sensus ille naturalis, de quo modo dictum est, et necessitas quaedam (velut Br. 34 coll. or. 58 d. or. III 185 s. f.) significari potest, aut casu sive fortuito (or. 177) fieri dicitur, quae naturae et casus notiones plerumque coniunctae opponuntur arti (or. 170 Br. 33), quod in iis id, quod commune est, tenetur, non cum conscientia, certe non consulto adhiberi artificia, eorum autem discrimen in modis tantum diversis eiusdem rei intellegendae positum est.

[1]) v. p. 15 adn. 1.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sed quovis modo artis proprium cernitur artificii sive actionis conscientia huiusque naturae cognitione, quae paratur perspectis eius causis: ita plane de artis notione consentit cum Aristotele, cui quidem in τέχνῃ utraque haec vis inest [1]), nec timendum est, ne, etiamsi uterque artem esse rhetoricam dicat, tamen re vera non eadem utriusque sit sententia; itaque, quod artis notio latius quam τέχνης pateat, sicut Volkmann. in illo, qui p. 13 commemoratus est, libro monuit, hic potest neglegi.

Inter artem autem et facultatem primum id interesse vidimus, quod haec amplior est notio, quae illam complectatur; ubi autem res aliter se habet, velut d. or. III 84, quo loco hae inter se opponuntur, in illa notione, quod eius proprium est, sentitur eaque ab universa facultate ita separatur, ut hac voce reliqui, quos in se continet, gradus consuetudinis animadversionis exercitationis significentur eaque inferior sit arte. Sed ne ibi quidem, ubi illa non est oppositio, negari potest interdum sentiri disciplinam, de qua agatur, non minus quam ad artes ad genera arte inferiora posse revocari (sicut etiam vim dicendi, cuius plane eandem ac facultatis conditionem esse vidimus, usurpat Br. 26 in eo eloquentiae statu denotando, quo haec nondum ad artem evecta sit); credibile autem hoc est propterea, quod eloquentia hoc potissimum ornatur nomine in illis de oratore libris, in quibus et saepius dubitari fingit, sitne ars rhetorica, et ratio multo minoris quam natura et exercitatio ad dicendum momenti esse iudicatur.

Quare minime, cum eloquentiam Tullius facultatem dicit, ideo artem ab ea alienam esse indicat et hanc eius fuisse sententiam etiam aliis testimoniis probatur. Saepissime enim de arte dicendi loquitur, quod cum ad rationem oratoriam pertineat d. or. I 224, 260 II 5, 30, 36, 37, 76, 137, 160, 356 or. 122, ad eloquentiam ex hac pendente revocandum est d. inv. I 5 coll. Quintilian. II 17, 2 d. or. I 135, 260 II 356 III 28, 36, 87, 89, 122 (152) partit. 139 Br. 25 or. 113, 114, 145, 147 (148) graviusque est hoc alterum, quae quidem Aristotelea rhetoricae notio est.

Inter Stagiritae igitur et Tullii hac de re sententias hoc intercedit: dicit ille rhet. I 1 in. eloquentiam partim exerceri εἰκῇ partim ἐκ συνηθείας, posse autem eius esse rationem p. 1354 a 11, ex qua cum pendeat eloquentia causis eorum, quibus utatur, artificiorum ab oratore perspectis, artem eam esse, quam vocat rhetoricam. Non aliter Cicero: eloquentia sitne consuetudo an animadversio an exercitatio cum dubitet, indicat sic eam exerceri, ut etiam ad hos tantum inferiores disciplinae gradus pertineat; tum vero aperte Aristoteleam disputationem amplectitur, causis pervestigatis rationem effici posse eloquentiae: sed non aperte dicit in hac ratione si nitatur eloquentia, eam ad artis praestantiam efferri, attamen illam saepe appellat artem dicendi idque ita, ut haec non tam ad solam rationem, quam ad ipsam eloquendi actionem ex illa pendentem revocetur; quin igitur esse possit ars dicendi, minime eum dubitare ex huius ipsius vocis usu intellegitur. — Sed cum eloquentiam exerceri videret, quamvis — id quod τέχνης proprium est — singulorum artificiorum causae non essent perspectae, Antonium facere poterat negantem artem esse eloquentiam (d. or. I 93 coll. II 32 extr. 356 med., ubi dubitat, sitne ars an artis imago et similitudo), negantem nimirum eam nihil aliud esse nisi artem, ita ut ‚eloquentia' si vellet esse, cum ratione eam coniunctam esse oporteret, ut autem, si ratio in causarum cognitione posita non adesset, eloquentia non eadem esse aut non idem, ac si niteretur in disciplina, efficere videretur, cum re vera ad usum, quem sequitur Tullius eumque sub Antonii persona solum, si non plane nullius at certe non maioris sit momenti, sciatne orator causas artificiorum, quae adhibeat, annon. Itaque artem esse posse neque tamen necessario esse, immo sitne ars annon, in usu non multum differre statuit, ideoque in libris oratoriis cum usum potissimum sequatur, non solum ut Aristoteles eloquentiam qua ex parte pendet e ratione, rhetoricam igitur, explicat, sed et adsumit ac persequitur, ut supra p. 7 in.

[1]) cf. Schmidt. in progr. Wittebergens. 1859 ed. de Platon. Gorg. p. 3 not. in., coll. Astii l. ib. l.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dictum est, naturam et exercitationis genera, quae omnia ad illam multum valere cum teneat, cur potius facultatis vocem latius patentem quam artis elegerit facile intellegitur, nec in iis, quae rationis sunt, explicandis ubique causas addit, in quo neglegit id, quod huius proprium est. Itaque cum in hoc doctrinae genere, quo de arte agitur, Tullius a philosopho non dissentiat, tamen rationem non ut Stagirita ad usum traduxit neque ipsis libris suis quasi probavit.

Reperiturne autem in illo sententiarum consensu vis Aristotelea? Primum artem esse posse rhetoricam ut Tullius statueret, nullius imitatione putandum est eum adductum esse; quaeritur autem id, quo modo haec efficiatur, itaque quid intercedat inter hanc et caeteros gradus disciplinae quidque hae quaestiones valeant ad rhetoricam. Atque de arte suam in iis, quae perlustrata sunt, Tullius nullam protulit doctrinam, sed quae ante eum ab aliis effecta offerebantur, — fortasse a magistris, quibus multis usus est, philosophiae, — amplectebatur; neque enim ultra quosdam pervagatos locos communes ad res aggressus est neque ii omni ex parte cum universa sententiarum ratione modoque tractandi congruunt, sed velut aliunde repetiti commodoque loco inserti sunt. Exemplum illustre est, quod artem, cuius explicationem sibi proposuit, existere dicit causis praeceptorum perspectis nec tamen ipse hanc observat legem. — Quod autem Stagirita omnino primus disciplinae gradibus subtiliter disiunctis (met. I 1 similibusque locis) et rationibus et exemplo docuit, qua re ad artem efferri posset verba faciendi (1354 a 5—6) facultas, aliqua ex parte omnes huius rei explicationes, cuius quidem novae disquisitiones, quae ex illius doctrina non pendeant, nullae nobis cognitae sunt, ad eum revocandae videntur. Ciceronem autem, cum qui varii sint disciplinae gradus iam a magistris didicisse, non ab Aristotele mutuatus esse putandus sit, (qua de re sufficiat laudasse Spengelii l. l. p. 488 explicationem rei) non, cum gradus illos describeret, primum eos repetivisse a Stagirita, at certe in hoc cum philosopho se consentire scivisse apparet ex eo loco, qui ob clarissimum cum huius verbis consensum cur dubitetur quin ad ipsos eius libros referatur nihil esse in dissertation. p. 43 illustravi, d. or. II 32. Stagiritam autem primum id docuisse utrum ipse sciverit an non, nullum est, unde diiudicetur, indicium: potest id certe statui, praesertim cum Platonis Gorgiam, quamvis diligenter ab eo lectus esse non videatur, ei notum fuisse suspicari liceat (d. or. I 47 III 122 med. 129 coll. Plat. Gorg. 447 C. — Brut. 292 non ad certum aliquem dialogum referendum esse arbitror), neque is praeter caeteros intellexisse iudicandus fuerit hoc libro non simpliciter rhetoricam, sed pravam eius speciem impugnari. —

Excludi ab Aristotele diximus ἐπιστήμην, non quidem ulla eius respicientes diserta verba, sed universam hac de re persequentes doctrinam. Cicero minime quidem clare disiungit artis et scientiae notiones, verum si eam, quae p. 16 commemorata est, disiunctionem tenemus subtilioris et popularis artis, in illa, ut definitur, idem, quod philosopho ἐπιστήμης proprium est, reperitur ab eaque separatur rhetorica [1]) d. or. I 108, 109 II 30 in. quod non in rebus penitus perspectis planeque cognitis atque ab opinionis arbitrio seiunctis scientiaque comprehensis, omnino „non iis, quae sciantur," versetur omnisque oratoris actio opinionibus, non scientia contineatur (id quod aliis quoque locis a Tullio statuitur). Quodam modo autem ad ἐπιστήμην referri videtur eloquentia, cum virtutibus adnumeretur intellectualibus (v. § 1 p. 3), quae Stoicorum est doctrina (cf. d. or. III 65). At Cicero cum hoc

[1]) Hoc simul artis a notione rhetoricam separari statuit Brueckner. in disputatione, qua „Cicero in libris de oratore scribendis quid ex Isocrate et Aristotele mutuatus sit, examinatur", Svidnit. 1849 p. 12, cum aut neglegat artis nomine hic significari ἐπιστήμην ac propterea putet, quod illam excludi universa loci d. or. I 108 sententia doceamur, omnino artem ideoque etiam leviore sensu intellectam removeri, aut eloquentiam, quod ἐπιστήμη esse non possit, a ratione abhorrere itaque ne artem quidem, i. e. actionem e ratione pendentem esse statuat, id quod minime ita se habere perspicuum est.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dicat, non ob eandem facit causam, propter quam Stoici id esse iudicabant. Minime enim ullo loco eam aperte dicit esse scientiam, immo d. or. III 55, ubi Cicero sub Crassi persona alterum perceptorum, quae Stoicorum proponuntur I 83, ipse amplectitur atque propinquum erat etiam alteri, ex quo dicendi esse scientia statueretur, astipulari, hoc minime fit, sed causam, cur *ταῖς θεωρητικαῖς ἀρεταῖς* adnumeranda sit ars dicendi, hanc videtur iudicare, quod affinis sit sapientiae; inter hanc autem, cum ad subtilem rerum cognitionem ut apud Aristotelem *ἐπιστήμη* pertineat, et eloquentiam ei adhaerentem discrimen manifesto in eo positum est, quod haec altera „ad vulgi sensus accommodatior est" partit. 79 (cui rei d. or. III 55 non tantum tribuitur, ubi propositum est demonstrare, quam arta inter sapientiam et eloquentiam intercedat coniunctio quamque necessaria sit vero oratori philosophiae cognitio: III 59). Itaque si non a virtutibus intellectualibus, at certe ab *ἐπιστήμῃ* artem dicendi etiam aperte removeri intellegitur. Stoicorum igitur hac de re doctrina, quae in eorum definitione rhetoricae innititur, ad illam de eloquentia virtute sententiam impulsus non tamen eam ipsam ita plane amplectitur, ut in hac quoque, de qua agitur, scientiae notione ad rhetoricam referenda cum illis consentiat simulque dissentiat ab Aristotele, qui negat *ἐπιστήμην* esse posse artem dicendi. — Ipsa virtutis notione genus proximum in definiendo contineri statuere, id quod Marcianum Capellam p. 411 Capperonn. facere videmus, Ciceroni, quamquam coniungit aliquotiens cum virtutibus eloquentiam (d. or. II 344 partit. 79), nunquam in mentem venit, quod vix est cur expresse moneatur. Exercitationem denique meram aut consuetudinem, ut omnia hoc in genere absolvamus, itaque *ἄτεχνον τριβήν* eloquentiam esse Tullium minime existimare cum per se credibile est in ea re, quam omnium praeclarissimam esse non semel dicit, (de quo Spengelii commentat. p. 488 laudasse sufficiat) tum ex tota hac de arte quaestione intellegitur; nam d. or. III 59 cum eo utatur nomine (‚hanc dicendi exercitationem'), ex ipsorum illorum, a quibus artem dicendi contemptam esse principemque eorum Socratem fuisse dicit, loquitur sententia.

Non solum aut praecipue in arte et ratione inniti eloquentiam cum Cicero saepius dicat, sed multum ad eam simul valere et ingenium et exercitationem, ab hoc commentationis loco non alienum videtur esse eius hac de re perquirere et cum Aristotelea comparare sententiam. Stagirita autem aperte hac de re non loquitur idque eius a proposito erat alienum. Etenim cum explicandam sibi proposuerit rhetoricam, eloquentiam [1]) intellegit, quae pendeat ex ratione, artificialem igitur quam dicunt. Ad hanc explicandam natura, (quamvis ad eloquentiam, ut sana erat illius mens, quem ad modum aliis in disciplinis eam respicit v. eth. Nic. X 10 p. 1179 b 20 pol. IIII vulgo VII 13 p. 1332 a 40 *φύσις, ἔθος, λόγος* — multum hanc valere non profecto neglexisse putandus sit) nullius fere erat momenti nec maioris exercitatio; namque et ex verbis rh. I 1 p. 1354 a 9 *δῆλον ὅτι ἂν εἴη αὐτὰ καὶ ὁδοποιεῖν* satis intellegitur agi de eloquentia ex arte exercenda, et singuli quidam loci huius sententiae sunt testimonia. *Ὑπόκρισιν* enim quod *φυσικόν τι* sit, ut *ἄτεχνον* ab artis explicatione, si res acrius definiatur, separandam esse rh. III 1 p. 1404 a 16 dicit seque in sola ratione, quae ad artem pertineat, versari neglecta natura et exercitatione III 10 p. 1410 b 8 *ποιεῖν μὲν οὖν* (sc. *ἀστεῖα λέγειν καὶ εὐδοκιμοῦντα*) *ἐστὶ τοῦ εὐφυοῦς ἢ τοῦ γεγυμνασμένου, δεῖξαι δὲ τῆς μεθόδου ταύτης.* — Aliter hanc a Cicerone rem agi iam vidimus, cum in libris suis exceptis partitionibus tria illa pariter respiciat (d. or.

[1]) Minime illam, quam nos nunc vocamus rhetoricam, artificiorum doctrinam ab ipso usu remotam (theorie der redekunst), sed artis exercitationem e ratione pendentem (nos vocamus kunstmässige beredsamkeit) dici imprimis ex medicinae similitudine rh. I 2 p. 1355 b 29 apparet, quam hoc loco in ratione, ib. v. 13 in ipso sanando versari dicit. v. supr. p. 13. Aliter Volkmann. l. l. p. 3.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

I 79, 95, 96 II 147 sq. 162, 232 III 16, 77, 125, 230 Br. 22, 25, 237 or. 99, 229 cl. d. inv. I 5 p. Arch. 1): est autem non de ipsa re, h. e. de triplici quasi fundamento eloquentiae, dissensus, sed de vario huius ad rhetoricam eo, quem saepius diximus, sensu intellectam momento. Neque ita ille dissensus comparatus est, ut in altero scriptore necessario reperiatur error, sed ad diversa, quae uterque eorum sequitur principia, is pertinet. Itaque in eo consentiunt, quod esse aliquod ad rhetoricam momentum rationis statuunt, cum Aristoteles arte explicanda quamvis non diserte — cum non ideo id faciat, ut disciplina illa eloquentiae serviat usumque sequatur — at certe tacite significet ad dicendum eam valere, Cicero autem inter tria illa, in quibus nitatur eloquentia, etiam rationem enumeret eamque necessariam esse, ut illa evadat perfecta, moneat Br. 111 coll. 243, quamvis ea sola aut potissimum ea id non effici ita doceat, ut paene parum ei videatur tribuere d. or. I 109 extr. 110, 114 II 5, 47, 84 s. f. 147 sq. de locis communibus, 150, 247 extr. 356 in. III 125 extr. (cf. 140 ubi non repugnante natura universa rerum cognitio sufficere cum dicatur, artis nulla fit mentio; II 232 de ioco quod dicitur, ob singularem huius rei naturam ad universam artem non simpliciter potest transferri); sed ut naturae saepissime, ita III 209 exercitationi summum tribuitur idque expectari potest in omni rhetoricae explicatione usum potissimum sequente, ut in rhet. ad Herenn. I 1 extr. apparet.

Hoc autem in consensu Aristoteleam vim agnosci non posse facile intellegitur, cum is non solum inter Tullium Stagiritamque intercedat, sed simul omnes fere omnium temporum rhetores eius sint participes et illum hanc sententiam ante, quam ad philosophi lectionem librorum accederet, amplexum esse probabile sit; accedit, quod non fere credibile est eum, qui naturam plurimum ad eloquentiam valere existimet, hanc sententiam repetivisse ab eo, qui doctrinam de trium illorum ad dicendi facultatem momento expresse proponat nullam.

§ 4.

Proprium artis oratoriae revocavit Aristoteles ad *τὸ θεωρῆσαι περὶ ἕκαστον τὸ ἐνδεχόμενον πιθανόν* cf. top. VI 12 p. 149 b 26 *εἴπερ ἐστὶ ῥήτωρ .. ὁ δυνάμενος τὸ ἐν ἑκάστῳ πιθανὸν θεωρεῖν (καὶ μηδὲν παραλείπειν)*. Quibus inventionem potissimum atque, si ipsa verba tenemus, solam significari perspicuum est, quamquam reliqua officia minime ab eo excludi ipsa eorum tractatione demonstratur. Sed utcunque id est, plurimum huic tribuit, sicut etiam *μόνον ἔντεχνον* primo libro in argumentis ponit, quo nec elocutionem nec dispositionem ab arte removeri monendum est: attamen id dicere non potuisset, si primas his rhetoricae partibus tribuisset. — Aliter hac de re Cicero; principem enim apud hunc tenet locum elocutio in eaque is oratoris proprietatem positam esse iudicat, id quod aperte non ille quidem in oratoriis dicit libris, sed d. off. I 1: — est oratoris proprium apte distincte ornate dicere —, illorum autem librorum permultis locis id certe indicatur: d. or. I 21 II 39 s. f. 120, 366 s. f. III 52 coll. 54 imprimis de ornate dicendo, cum reliqua, quae ad elocutionem pertineant, et „facilia et ita sint necessaria“, ut tacite possint postulari nec accuratius sint percensenda; ib. 129, 147 cum ad ipsas orationes revocat ornate dicendi praecepta, in iis, quae antea de rerum cognitione disputaverat Crassus, non pariter proprium rhetoricae positum esse indicat; partit. 81 inter vitia, quae oriantur, si extra modum prodeatur in iis, quae virtutum propria sint, enumeratur „inanis quaedam profluentia verborum“, quae „vim eloquentiae“ — in eloquendo igitur positam — imitetur; cf. ib. 79, quo loco cum copiose loquentem sapientiam esse hanc artem dicendi iudicat, rerum quidem cognitionem huic cum illa communem, copiosam autem elocutionem eius propriam esse significat. Idem apparet or. 37 s. f. 42 s. f., ubi genus demonstrativum, cuius quidem vis in dictione collocatur, „oratoris incunabula“ aut „eius quasi nutrix“ dicitur (cf. d. or. III 104—5, or. 44 in. coll. 43 in. et

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quintil. VIII pr. 14) or. 51, 61 (coll. Quintil. VIII pr. 15) 100 extr., ubi in oratione variis dicendi generibus apte uti oratoris perfecti esse dicit, ad eloquendum igitur huius virtutem revocat, 113 in. 123 med. 136 med. 142 med. Omninoque summum elocutioni in oratore libro tribui ex universa huius institutione intellegitur, cum in illa rhetoricae parte explicanda maxima eius pars versetur. Non temere autem huic accessisse iudicio Ciceronem colligi potest ex loco d. or. III 115 med., ubi cum ea de re dubitari posse aperte concedit, se habuisse, cur in alteram discederet sententiam, tacite significat. Ac ne ii quidem ab hac alieni sunt loci, quibus propius ab Aristotele abest Tullius, cum d. or. I 260 coll. 138 et Quintil. II 15, 5[1]) oratorem eum esse statuit, qui accommodate ad persuadendum possit dicere; illius igitur definitionem certe ita immutavit, ut ea comprehenderetur etiam elocutio: nam ad hanc solam propterea, quod dicendi verbum usurpaverit, universa ab eo rhetorica referri minime existimanda est, cum res inventione parandas esse et ordinandas dispositione tacite eum concedere putandum sit. Non raro etiam aperte dicit, quid hae valeant, cum sine iis ad vanas locutiones detrudatur eloquentia (d. or. I 17, 50 coll. 20, 48 III 80 s. f. 81, 103 Br. 23 or. 72), atque verum perfectae elocutionis in his positum esse fundamentum moneat d. or. III 125, 142, 146 or. 119. Idem vero, ubi utrumque et res et elocutionem commemorat, proprium artis in ornate dicendo inesse iudicat, ut Crassum d. or. I 49 cum rerum cognitionem necessariam oratori esse doceat, certe ornatam dictionem postulantem facit ideoque statuentem latissime patere eloquentiam, cum ei omnia, quae ornata elocutione explicentur, adnumeret; nec aliter in oratore § 236, ubi summam facit disputationis, „bonas sententias“ oratori necessarias esse, per se autem eius perfectionem nondum efficere dicit. Atque ut eos non omittam locos, quibus minus aperte ille quidem tamen idem tenet, or. 227 optimas sententias, nisi apte atque absolute expositae sint, oratori fructum ferre negat; partitionum eo loco, quo virtutibus adnumerat eloquentiam, huius a sapientia discrimen, quo eius proprium contineatur, ponit in latiore loquendi genere, simillimo contra illi loco d. or. III 55 utrumque et rerum scientia commemoratur et elocutio, atque hanc, cum accuratius loquatur, ad ornate copioseque dicendum refert ib. 76, ubi eadem est sententia. D. or. III 129 cum eam, quam ipse in oratoribus esse vult rerum cognitionem, in sophistis ut in Gorgia fuisse dicat, tamen praeter res mentionem facere elocutionis non omittit, cum illum in Platonis libro de omni re se copiosissime dicturum profiteri moneat, qui eo maioris ponderis est locus, quod hoc ‚copiose‘ a Cicerone additum esse intellegitur ex Platonis Gorg. 447 C, quo respicit: *πρὸς ἅπαντα ἔφη ἀποκρινεῖσθαι.* Tam firmum enim eius iudicium fuisse apparet, ut etiam aliorum idem esse opinaretur, quorum non erat. Hoc ipso ex loco, quid inter Aristotelem et Ciceronem intercedat, clarissime intellegitur, cum ille *περὶ ἕκαστον θεωρῆσαι τὸ πιθανόν,* hic copiose de omni re dicere perfecti oratoris esse existimet. Adde quod d. or. III 79, etiamsi „minus doctus sed in dicendo exercitatus“ orator sit, minime eum a philosophis, qui se ipsos ob doctrinam pluris quam illum vulgarem oratorem faciant, contemni debere, immo hos propterea ab eo „verberari“ posse existimat: unde colligi potest ad eloquentiam eum statuere maioris esse momenti facultatem dicendi quam doctrinam. — Atque erat Ciceroni in elocutione artis proprium ponendum, quod res, in quibus versatur inventio oratoria, rhetoricae cum aliis disciplinis communes esse putat, idque ita, ut non modo ad persuadendum ex iis desumantur, (quod si fiat, in earum electione propria oratoris cerni potest actio, sicut ab Aristotele res instituitur), sed ut easdem simpliciter etiam rhetoricae subiectas esse dicatur, quamvis non subtilissime huic sint pertractandae[2]): cuius rei testimonia d. or. I 55 coll. 213, III 108, 112 protulisse hic sufficiat. Iudicat

[1]) Ad hunc locum prior ille Ciceroniani libri I 260 in indice Bonnell. potest adscribi.

[2]) Neque igitur respicit Tullius, res non per se, sed quoad pertineant ad persuadendum, subiungendas esse arti oratoriae, neque usque eo, quo Aristoteles, progreditur, ut simpliciter ex politica et logica constare dicat rhetoricam, res igitur ipsas aliunde huic mutuandas esse concedat. Itaque et quod ad rerum attinet ambitum et quod ad subtilitatis gradum, nimium illi attribuens eamque cum singulis disciplinis confundens nisi in orationis forma eius proprium esse non potest existimare.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

igitur oratorem, si quid oratione commendandum sibi proposuerit, pari diligentia atque eum, qui quid ex arte explicaturus sit, rem perspectam eaque, quae ad hanc illustrandam apta sint, parata habere oportere. Ita nihil restat, quod cum nulla alia disciplina commune sit, nisi forma, quae ornata dictione definitur.

Quae cum ita sint, differt in hoc Tullius a Stagirita. Quo in dissensu priores illi non videntur exemplo fuisse; neque enim in libris de inventione nec in rhetorica ad Herennium eloquentiae vis ponitur in elocutione. Nec tamen Aristotelea his libris profertur doctrina, sed in his idem atque rerum inventioni tribuitur eloquendo, cum in „dicendo ad persuadendum accomodate" (d. inv. I 6 coll. d. or. I 138) aut „cum adsensione auditorum, quoad eius fieri possit" (rhet. ad Her. I 2) rhetoricae officium collocetur, cui sententiae non obstat, quod d. inv. I 9 extr. princeps omnium partium dicitur inventio: quae nisi velut fundamentum est, nullus omnino locus est elocutioni. Ne antiquiores quidem rhetores, ut Hermagoras, quantum de eorum doctrinis possumus colligere, Ciceronis sententiam videntur occupare; ad sophistas autem, qui non ratione, at usu certe idem illud probabant, nemo illius sententiae originem revocaverit: quapropter is hac in re suum proponere existimandus est iudicium. Potest autem ad illam opinionem adductus esse Stoicorum doctrina, cum fortasse eo, quo rhetoricam illi, quem ad modum supra dictum est, a propinqua arte dialectica differre statuebant, omnino eius proprietatem describi posse iudicaverit. —

Definitio Aristotelis cum a Cicerone nusquam aperte proferatur, gravissima igitur res, qua totius artis natura quasi uno conspectu comprehenditur quamque propterea praecipue respici oportebat, plane ommittatur, ac ne in singulis quidem illius partibus, quae possunt inveniri, agnoscenda sit vis Aristotelea, certe non accuratissime in philosophi libris eum versatum esse hac quidem ex parte iure dici apparet.

§ 5.

Distinxit Aristoteles rhetoricae officium ab eius fine (v. rh. I 1 p. 1355 b 10 coll. Bies. de Ar. phil. libr. II p. 578) idque primus fecit. Officio, *ἔργῳ*, quod intellegitur sententia *ἐνεργείας* (v. eth. Eud. II 1 p. 1219 a 13 coll. eth. Nic. I 1 in.) artis proprium contineri dicit eth. Nic. I 6 p. 1097 b 6, idque rh. I 1 p. 1355 b 10 esse statuit *ἰδεῖν τὰ ὑπάρχοντα πιθανά.. ἔργον αὐτῆς* coll. I 2 in. *θεωρῆσαι τὸ ἐνδεχόμενον* [1]) *πιθανόν*. Contra qui finis sit rhetoricae, quoniam de hoc cum omnibus consentit philosophus, non aperte significat, ut parciloquum iure eum dicit is, qui inter nostrates striptores in hoc ipse ei est simillimus. Finem huic quoque esse *τὸ πείθειν* colligi potest ex his locis rh. I 1 p. 1355 b 10 sqq. coll. eth. Nic. 1 5 p. 1097 a 19, rh. II 1 p. 1377 b 21 coll. 1358 b 6, II 18 p. 1391 b 8 coll. I 3 p. 1358 b 1, eth. Nic. III 5 p. 1112 b 12—14. — Tullii in libris oratoriis iis, qui hic respiciendi sunt,[2]) aperte hoc discrimen nusquam respicitur, sed eius cum aliqua reperiri

[2]) Hoc cum significet possibilitatem ex causis internis pendentem — v. Waiz. Organ. I 376 coll. Bonit. met. Θ 3 p. 387 Trendelenburg. d. an. III 10, 4 p. 532 — cui *τὸ δυνατόν* opponitur in externis positum, hic significat id, quod cogitationi appareat esse *πιθανόν*, i. e. quidquid meditatione inveniri possit (nos dicimus denkbar, velut Bernays. d. dial. Aristot. p. 87 ad eth. Nic. I 3, sive erdenklich.) Aliam verbi vim, ut illum dicendi usum ne in accuratis quidem disputationibus teneri Waiz. l. l. dicit, esse puto rh. I 1 p. 1355 b 13, ubi non tam quoad cogitari quam quoad fieri possit, significatur, ut ad realem potius possibilitatem (so weit es thunlich ist) quam ad logicam (so weit es denkbar ist) referatur.

[3]) Priores negleguntur libri rhetorici, cum et per se credibile sit triginta fere annorum spatio doctrinae immutationem factam esse — cf. Spengel. l. l. p. 510 med. dergleichen, dass Cicero stillschweigend seine frühere ansicht aufgibt, findet sich in seinen Schriften gar oft, ist aber von niemand beobachtet worden — et de illis aperte id ipse dicat d. or. I 5. Est etiam respiciendum, quod iam in libris d. or. contemnit vulgaria praecepta velut I 138 sqq. II 78 sqq. 358 all., in quibus primi illi

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

videantur vestigia, quid de singulis his rebus duabus iudicaverit, quaerendum est. Ac primum finis Ciceroni quoque est persuadere, id quod clare indicat or. 65, cum sophistis non tam ut persuadeant, quod oratoris sit, quam ut delectent, propositum esse dicat; idemque subest d. or I 44. Sed cum ad hoc, ut orator et, quod sibi proposuerit, perficiat velut *ἐπιγινόμενόν τι τέλος*, quod dicit Aristoteles, accedat, ut admirabilis iis videatur, quibus libere liceat iudicare (d. or. I 119 sq.), itaque (ib. 118) ut pulchri sensum expleat, sicut etiam in ornata dictione, approbationem ob audientium delectationem movente, artis dicendi proprium posuit, tamen non profecto in hoc solo summum eloquentiae finem inesse putavit, ut eo tempore ad ipsam vitam referebatur eloquentia ac vim suam in iudiciis et senatu contionibusque exercebat, in quibus necessario non tam placere quam persuadere iis, qui audiebant, summum erat propositum. — Ne de officio quidem oratoris clare loquitur Tullius; sed quid de eo iudicaverit, aliqua ex parte colligi potest hinc, quod d. or. I 260 amplectentem facit Antonium ea, quae Crassus ib. 138 e vulgari repetiverat doctrina. Vult autem ille oratoris vim positam esse in facultate ad persuadendum accommodate dicendi: qua ab opinione ipsum non ita longe abesse scriptorem eo est probabile, quod, quamquam praeter hoc etiam aliud ab eo requiri vidimus, nusquam tamen hanc immutavit officii definitionem. Nec mittendum est, quod d. or. I 44 Scaevolam non facit postulantem, ut persuadeat orator, sed iudicantem „satis magnum id esse, quod possit praestari, ut . . in contionibus et in sententiis dicendis ad persuadendum plurimum valeat oratio“, in quibus, cum recedat ab eventu in officio oratorio definiendo, subest officii a fine rhetoricae separatio. Ac si quaerimus, nonne eiusdem differentiae vestigia in singulis artis partibus animadvertantur, tota haec quaestio redit ad inventionem, ad eamque refertur aliqua ex parte illa disiunctio; dicit enim d. or. II 161: „Carneadi vero vis incredibilis illa dicendi et varietas perquam esset optanda nobis; qui nullam unquam in illis suis disputationibus rem defendit, quam non probarit, nullam oppugnavit, quam non verterit; sed hoc maius est quiddam, quam ab iis, qui hanc tradunt et docent, postulandum sit.“ Sed cum differre videatur a Stagirita d. or. I 30 sq. nec minus Br. 59, quo loco suadae effectorem dicit oratorem, ibi leviter tangi rem strictimque absolvi quis non videt?

Quae cum ita sint, primum illud inter finem et officium rhetoricae discrimen in Ciceronis universa artis oratoriae tractatione minime exstat et eminet; sed reperiuntur eius vestigia in singulis, ubi quasi res ipsa id videtur efficere, idque omnino ei notum fuisse intellegitur ex loco d. inv. I 6. Ubi clarissime apparet d. or. I 260 coll. 138, Aristotelis cognoscitur vis doctrinae, cuius quidem in arte primum subtilis illa seiunctio nobis occurrit ab eoque hanc profectam esse veri est simillimum, nec tamen necessario ad ipsos philosophi libros ea referenda est, cum ipse ib. I 138 coll. d. inv. I 6 vulgari rhetorum ratione id receptum esse doceat. Ac si deinceps quaeritur, videaturne scivisse Tullius, unde originem duceret illa disiunctio, nullum, quo id diiudicetur, eius in

---

libri versantur; contra locus II 365 huc non pertinet.' Cf. Quintilian. instit. or. II 15, 6 III 1, 20; 5, 14; 6, 59. Itaque d. inv. libri veram sententiae, quam Tullius, cum usu et experientia praestans esset, de arte oratoria habebat, imaginem non exprimunt.

Aristotelis autem artem sibi cognitam esse nec plane in illis libris dicit nec in iis, quibus una cum caeteris artis magistris eum comprehendere videtur II 8 extr., satis gravia insunt argumenta, cum latius illa verba quam verius dicta esse videantur: ac ne praecepta quidem ab hoc ipso desumpta invenimus, ut, quamquam Aristotelis opus antea lectum esse perspicue non posit negari, merito sic fere statuatur, quidquid ex illius doctrina commemoretur, etiam aliunde eum habere posse. Summa igitur cum similitudine veri nisi quae rhetoricae antiquioris (circa annum a. u. 670), certe quod ad Aristoteleae disciplinae vim attinet, fuerit conditio, inde non intellegatur, quae eadem res ex rhet. ad. Her. cognoscitur, quamquam eius ab auctore aliquantum immutatam esse doctrinam iure dicit Kayser. in edit. praefat. p. 1 sq.

Stagiritae *συναγωγὴν τεχνῶν* ante hos d. inv. libros componendos lectam esse a Tullio veri est simillimum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

libris est indicium. — Iam vero in iis ipsis, inter quae intercedit haec differentia, non vehementius quidem Stagirita et Cicero dissentiunt, nec tamen plane conveniunt. Utriusque enim rei, et finis et officii naturam ad persuadendum revocavit philosophus; non tam simpliciter instituit rem Tullius, sed dilatavit utrumque, finem, cum praeter fidem faciendam aperte requirat eam orationis formam, quae placeat auditoribus, officium, cum adsumptis ad inventionem reliquis rhetoricae partibus in elocutione artis proprium collocet; quod autem persuaderi posse auditoribus etiam alia atque ornata dictione concedit, ab Aristotelis hoc in genere sententia, qua τὸ πείθειν non tam ex eloquendo quam ex argumentis pendere existimatur, non ille quidem abhorret, sed ubi ipse, quid verum esse iudicet, accuratius illustrat, satis graviter ab eo differt principem in oratoris officio locum tribuens elocutioni.

Reliqua quam primum fieri poterit subsequentur.

Dr. H. Jentsch.

Ein Wort gegen den Wegfall der grossen Anfangsbuchstaben in der deutschen Schriftsprache.

Es haben in neuerer Zeit einige Gelehrte denselben beliebt; ob aber nicht das Verständniss des Schriftlichen durch grosse Anfangsbuchstaben erleichtert, ja ein falscher Sinn verhütet werde, möge aus folgenden nach und nach gesammelten Sätzen ersehen werden:

1. Der Zorn ward Milde, der Hass Liebe. — 2. Gieb, dass deine Lehren unserm Geiste werden licht! — 3. Aus Frühlingen zieht diese Allmächtige Blüthen und Früchte hervor. — 4. Dass er den Muth besass, den Grossen Spott zu singen. — 5. Gott, der du Guten und Schlechten Segen spendest. — 6. Er war nur Gelehrter. — 7. Dem Ird'schen all verrinnt die letzte Stunde, jedoch mit Gott ist aller Geist im Bunde. — 8. Er starb in Verachtung und elend. — 9. Wir treffen unter den armen in Schrecken Gejagten Personen von unserer Bekanntschaft (Manzoni). — 10. Die Sonne scheidet abendroth! Gieb ihr das Festgeleite! Ihr Untergang ist ja nicht Tod! Sie bringt da drüben Freude. — 11. Durch Gott gewinnt alles Gute Gedeihen. — 12. Für so kurze Freuden so lange leiden. — 13. Geh' nach der Alten Spur. — 14 Wo Glaube und Vertrauen ist, thut selbst das Unschuldigste Mirakel. — 15. Die erhöhte Kenntniss der Natur lässt auch den Geringsten Antheil nehmen an —. — 16. Nun brause fröhlich, Rhein: Nie soll ob meinem Hort ein Wälscher Wächter sein. — 17. Es war Hoffnung zu Siegen. — 18. Verhasst sei mir das Bleibende, verhasst Was mir mit seiner Dauer Stolz erscheint. — 19. Wenn nur der Liebe Stern in dir nicht untergeht. — 20. Die Lenker der Staaten müssen Weise sein. — 21. Uns war der Liebe Morgen aufgegangen. — 22. Der Verklärten Familie weihe ich dies. — 23. Das Zusammenwirken aller Kräfte, der Vornehmsten wie der Geringsten. — 24. Ob noch mahnt der Treue Mund. — 25. Für ihn war Alles Gras. —

Diese Zeilen wolle als ein kleines Angebinde freundlichst hinnehmen der jetzt aus dem Lehrer-Collegium scheidende Prorector, Herr Oberlehrer Niemann. Seiner oft erprobten Freundschaft empfiehlt sich auch für fernere Zeit in treuer Ergebenheit

Fr. W. Roch.

Corrig. p. 10. v. 1: μεταβλ.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf